

In causis:

Et esse intellectus.

est in potentia materiæ, & in virtutibus activis & passivis, ex quibus, tamquam ex proprijs causis, producitur rosa. Habet etiam rosa esse in seipsa: & sic habet esse in actu. Tertio, potest considerari rosa, ut circa ipsam versatur intellectus.

Cum ergo quæritur, Vtrum sit aliqua essentia, quæ habeat se per indifferentiam ad esse, & non esse? Dicendum est, quod si loquamur de esse reali, non: quia, secundum huiusmodi esse, vel consideratur, ut est in suis causis, & in potentia: vel ut est in seipsa: secundum hoc, non est indifferens ad esse, & non esse: quin potius, cum habet esse in potentia, habet non esse in actu: quia, quod est in potentia magis se habet ad non esse, quam ad esse. Si verò consideretur, ut est in seipsa, sic est actu: & sic existens magis se habet ad esse, quam ad non esse.

secundum
ostremum
nabet in-
differen-
tiam.

Si verò res consideretur, prout circa ipsam versatur intellectus; tunc indifferens est ei, esse vel non esse. Quamvis enim fortè multum referat, antequam scientia de aliqua re est in actu, Vtrum res sit, vel non sit? attamen postquam habemus scientiam de aliqua re; ut puta, rosâ: potest eam intellectus intelligere, sive sit sive non sit.

Res in po-
tentiâ po-
tius dicen-
da non
esse, quam
esse.

QVOD IGITUR arguebatur, quod essentia determinatè respiciat esse: verum est, ut actu existit in rerum naturâ, & ut habet esse in proprio genere: sed, ut est in suis causis, tantum est in potentia: & debet dici potius, simpliciter non esse, quam esse.

Ad aliud, quod objiciebatur in oppositum; scilicet, quod res possit intelligi, absque eo quod habeat esse: Dicendum est, quod ex hoc (ut patet) non arguatur, quod res habeat esse reale indifferens ad esse, & non esse: sed solum probetur, quod, dum circa rem versatur intellectus, accidat eam esse vel non esse.

DISTRIBUTIO QVÆST.

SEQUENTIVM.

Postea quærebatur de ente creato in speciali. Ens autem creatum in speciali tripliciter dividitur; videlicet, in ens purè spirituale, ens purè corporale, &

ens ex utrisque compositum. De omnibus autem his fiebant plures & variæ quæstiones. Sit ergo

DISPV. II.

De ente purè spirituali, sive de Angelis.



Ira entia autem spiritualia, sive circa Angelos erant quatuor quæsitæ: unum de Angelis in communi; Vtrum, scilicet, Deus posset facere plures Angelos in una specie? tria autem alia quærebantur, non de omnibus Angelis in communi; sed specialiter de omnibus Angelis malis, quorum unum pertinebat ad malorum Angelorum actionem; duo verò ad malorum Angelorum passionem. Circa eorum actionem quærebatur, Vtrum ductu rationis per opera malorum Angelorum, sive Dæmonum possimus scire, Dæmones esse? circa eorum autem passionem quærebatur, Vtrum Dæmones possint pati ab igne? & Vtrum possint simul pati contrarias poenâs? Sit igitur

VÆSTIO I.

QVODLIBETI VII.

Vtrum Deus possit facere plures Angelos in eadem specie?

Auctores de principio individuationis videantur quodlib. 1. quæst. ejus 11. & in particulari Amicus de subst. Angelorum disp. 3. sect. 6. ubi citat. infinitos: & specialiter hanc Egidij sent. discutit.

Egidius autem hic, quæstione utrimque examinatâ, refert articulum Parisiensem, dicitque eum non satis maturè discussum, optatq. maturius examinari. Inde docet saltem pro ea occasione, exercitij causâ, non dari quidem juxta hunc rerum ordinem plures Angelos in eadem specie; posse tamen, si alium ordinem instituisset, id à Deo fieri. Id verò explicat per comparationem rei immaterialis ad diversum esse. Et inde satisfacit argumentis.



AD PRIMVM, sic proceditur. Videtur quod Deus non possit facere plures Angelos in eadem specie: quia quod implicat contradictionē non potest dici possibile: sed, esse plures Angelos in eadem specie implicat contradictionem: nam Angeli, cum sint formæ per se existentes, non possunt differre nisi differant per formā; differre autem formā est differre specie: ergo implicat contradictionem, quod Angeli differant, & non differant specie: ergo non potest hoc dici possibile.

IN CONTRARIVM est, quia sicut possunt multiplicari plura in eadem specie in rebus materialibus: idque, quia recipitur eadem forma in diversis partibus materiæ; sic etiam videtur, quod in spiritualibus poterit esse multiplicatio in eadem specie: idque quia recipietur eadem forma in diversis suppositis.

CONCLUSIO.

Cum videatur posse dici, determinari formam per esse, æquè ac determinatur in rebus corporalibus per materiam ad individuum: etiam poterit sustineri, plures Angelos esse posse in eadem specie: quamvis hoc non sit conveniens in illo rerum ordine quem Deus nunc instituit & servat.

Articulus
immutatur
ordinatur

RESPONDEO, Dicendum, quod de hoc sit articulus Parisiensis: in quo dicitur, quod error sit, dicere, quod, quia intelligentie non habent materiam, Deus non possit plures ejusdem speciei facere.

Optandum verò foret, quod maturiori consilio tales articuli fuissent ordinati: & adhuc sperandum, quod forte de ijs, in posterum, sit habendum consilium sanius. Hinc in præsentī, quantum possumus, & ut possumus, articulum sustinemus.

Sustinetur

Nobis autem inter cæteros modos congruos, ad hoc sustinendum, hic videtur præstare: secundum quem dicamus, Deum quidem hoc potuisse; non tamen fuisse conveniens, ut hoc faceret, secundum ordinem istum rerum, quem videmus nunc institutum. Sicuti posset, si vellet, salvare Iudam, & damnare Petrum: quia posset facere, si vellet, quod animæ Iudæ & anima Petri redi-

Ad quod
explicatur
resolutio

Secundum
duplicem
potentiam,

rent ad propria corpora; ita, quod iterum Iudas & Petrus essent viatores. Quod Absolutam factō, posset Iudæ dare gratiam poenitendi, quā salvaretur: Petro autem gratiam negare, ex quo peccatum committeret, in quo sic relictus damnaretur. quā posset damnare Petrum & salvare Iudam,

Sed quamvis hoc Deus posset facere: Et ex suppositione. non tamen deceret. Ita & in proposito dicere possumus, Deum quidem posse: sed secundum hunc ordinem, quem nunc positum videmus (quantum in præsentī nobis occurrit) non convenire, ut faciat plures Angelos in eadem specie. Hoc tamen fatendum, conveniens fore si Deus faceret; quia, tamen si hoc non esset conveniens secundum ordinem nunc positum; esset tamen secundum alium, quem Deus tunc statuisset.

AD CIVVS EVIDENTIAM Sciendum, quod forma sub duplici respectu considerari possit; primò enim potest comparari ad materiam, secundò ad esse. Per ea autem, quæ videmus in forma, prout comparatur ad materiam, possumus conjecturari, quid tenendum sit de formā, prout comparatur ad esse? Quoad primum

Duplex
formæ re-
spectus, ad
materiam,
au esse.

Sciendum quod aliquando forma trahatur ad modum materiæ: aliquando verò materia ad modum formæ. Forma autem trahitur ad modum materiæ, secundum esse particulare & sensibile: & materia trahitur ad modum formæ, secundum esse universale & intelligibile. Propter quod *Philos. in l. de cælo & mundo* ait, *Cum dico, hoc cælum, dico, materiam: cum dico cælum, dico formam.* Iuxta primum

Materia
trahitur
subinde ad
modum
formæ,

Hic ergo lapis, vel hic leo, sive homo; &, quodcumque corpus dicit materiam: leo autem, vel lapis, vel quodcumque corpus non signatum, non particularisatum dicit formam. Hoc tamen sic non est intelligendum, quasi corpus particulare & sensibile excludat formam: sed hoc ideo dictum est, quod formā recepta in materia trahatur ad modum materiæ. Subinde contra,

Cujus ratio est: quia, omne quod recipitur, recipitur secundum modum recipientis: & quia secundum esse particulare & sensibile forma recipitur in materia, ideo trahitur ad modum materiæ. Ratio posterior.

Et sicut corpus particulare non excludit formam; sic universaliter sumptum non excludit materiam: dicitur

Prioris.

In poste-
riori divi-
ditur for-
ma juxta
divisio-
nem mater.

In priori
mat. uni-
tur juxta
unitatem
formæ.

Juxta se-
cundum
esse tra-
hitur ad
modum
formæ

Et contra.

Difficultas
mota ex-
plicatur, &

Dissolvi-
tur.

Albedo se-
paratim
existens
quando una
tantum,
quando
plures esse
possit?

verò, quòd corpus universaliter sum-
ptum dicat formam; quia secundum
esse universale & intelligibile materia
trahitur ad modum formæ: eò quòd
non sit intelligibilis, nisi per analogiam
ad formam. Vbi ergo forma trahitur ad
modum materiæ: oportet, quòd divi-
datur secundum divisionem materiæ:
ubi autem materia trahitur ad modum
formæ, oportet, quòd uniatur secun-
dum formam. Inde est; quòd, quia hic
leo dicit materiam, possint esse multi
leones: sed quia leo dicit formam recto
aspectu, ideò ex omnibus particulari-
bus leonibus non occurrat intellectui,
nisi unus leo.

Et sicut distinguimus de forma, ut
comparatur ad materiam, sic possumus
distinguere de forma, ut comparatur ad
esse. Vnde etiam dicere possumus, quòd
aliquando forma determinetur per esse,
aliquando autem esse per formam. Et;
quòd, quando forma determinatur per
esse, non sit inconveniens, esse plura
in eadem specie: quia tunc illa plura
per se, & primò differunt per esse: sed
quando esse determinatur per formam,
non videtur possibile, plura esse in ea-
dem specie.

Sed si hoc dicamus, videmur firmare
quæstionis difficultatem; nam tametsi
in rebus materialibus videatur forma in-
dividuari per esse: in abstractis autem
esse individuari per formam: ut verbi
gratiâ ideò hæc albedo individuari, quia
habet hoc esse in subiecto: ideòque in
alio & alio subiecto, propter aliud &
aliud esse, possit esse alia & alia albedo:
in rebus tamen abstractis sic fieri non
possit, nam quia illæ formæ sunt per se
existentes, videntur seipsis individuari.
Vnde natura Angeli, quia non est for-
ma apta, sive nata recipi in materia,
seipsa individuat: esse autem, & alia,
quæ sunt in naturâ Angeli, videntur in-
dividuari per ipsam naturam, & per ip-
sam formam, in qua recipiuntur. Vnde
in rebus immaterialibus non videtur
possibile, esse plura in eadem specie.
Propter quod

Sciendum (ut aliquando diximus)
quòd, si albedo esset separata, ea tunc
non foret nisi una albedo in specie albi.

Quod tametsi debeat rationabiliter
concedi: tamen aliâ ratione etiam dici
potest, quòd possint esse plures albedi-

nes in eadem specie. Nam si albedo
esset separata, vel remaneret ei esse,
quod acquisivit in subiecto: vel tribue-
retur ei esse, secundum quòd requirit
forma separata. Si remaneret ei esse,
quod acquisivit in subiecto; cum in alio
& alio subiecto acquisiverit aliud & aliud
esse, propter tale aliud & aliud esse,
posset esse alia & alia albedo.

Et secundum hunc modum dicimus, *Et anima separata:*
quod animæ separatæ sint plures in ea-
dem specie: quia scilicet ipsis anima-
bus separatis remanet esse, quod acqui-
sierant in corpore.

Sed si non remaneret formæ separa-
tæ idem esse quod acquisierat in subje-
cto; at si daretur ei aliud esse secundum
exigentiam formarum abstractarum,
non videretur possibile, esse plures ta-
les formas in eadem specie: quia tunc
forma non distingueretur per esse: sed
magis esse per formam, talia enim, sicut
entia separata, per se & primò different
per formam: &, quia tale differre est
differre specie, ideò talia different spe-
cie. Differentia autem est inter hoc &
illud: quia habere esse illo modo, quo
fit multiplicatio in eadem specie, est
habere esse imperfectum in illâ specie,
& non secundum exigentiam formæ:
habere autem esse alio modo, est habe-
re esse perfectum in illa specie, & ha-
bere esse secundum exigentiam formæ.

Ex omnibus his concludi potest; *Plurifica-
tur namq;
ex diversitate mate-
rie:*
quòd forma, ut trahitur ad modum
materiæ, & ad modum imperfectionis,
possit plurificari secundum diversitatem
materiæ: possintq; ideò plura talia esse
in eadem specie: & hoc, quia ipsa for-
ma speciei, quæ de se habet unitatem,
secundum hunc modum diversificatur
per materiam. Quando verò materia
trahitur ad modum formæ, & ad mo-
dum perfectionis, tunc materia, quæ
ut habet esse sensibile, habet diversita-
tem, sic tracta ad modum formæ habet
unitatem, ut non dentur plura in eadem
illa specie. Nam, ut secundum esse sen-
sibile forma plurificatur per materiam,
sic secundum esse intelligibile materia
unitur per formam. Et, juxta dicta, sicut
forma habet duplicem comparisonem
ad materiam; ita habet duplicem com-
parisonem ad esse. Quapropter, ut
habet esse imperfectum, potest diver-
sificari secundum esse; & possit in
eadem

Vnitur ex parte suâ.

Ratio redditur.

Prima. Quia totum & perfectum significat omnino idem, vel proxime accedunt ad identitatem: ita etiam pars & imperfectum. De quo *Ægid. loc. cit. lect. 14.*

2. Ratio

Quia esse perfectum est esse secundum exigentiam formæ.

eâdem specie esse diversæ formæ, propter diversâ esse imperfecta. Quando verò habet esse perfectum forma non diversificatur per esse: sed esse unitur per formam: ex quo fit, ut nō sit nisi unum esse in tali specie propter unitatem formæ.

Sed, ut plenè difficultas evacuetur, oportet reddere causam dictorum. Et quidem reddi potest duplex ratio, quare forma secundum esse imperfectum plurificetur in eadem specie: non verò secundum esse perfectum? & prima ratio sumitur ex hoc, quod esse comparetur ad perfectionem vel imperfectionem. Secunda quod comparetur ad formam.

Prima via sic patet: quia, ut dicitur *3. Physic. Totum & perfectum dicunt idem vel proximum secundum naturam*: ergo imperfectum & pars dicunt idem vel proximum secundum naturam. Et quia totum dividitur in multas partes, & multæ partes uniuntur in uno toto, de ratione totius est, quod habeat esse unitum, & de ratione partium, quod habeant esse diversum: forma ergo, quæ habet esse perfectum, quia habet esse totale, ex consequenti habet etiam esse unitum. Sed forma, quæ habet esse imperfectum, quia habet esse particulare, consequens est, quod possit habere esse diversum & plurificatum. Hinc albedines existentes in materia, quia habent esse imperfectum, plurificantur secundum plura esse partialia & imperfecta, quæ habent. Sed si esset albedo separata, & haberet esse perfectum: tunc omnes istæ albedines materiales non æquarentur cum esse illius albedinis separatæ; nam illa separata haberet totum esse, quod potest competere speciei: omnes autem istæ materiales albedines, non haberent totum esse competens suæ speciei: ideòque istæ materiales albedines, quantumcumq; multæ essent, adhuc possent esse plures: quia omnes istæ non adequarentur toti esse, quod competere posset speciei: illa autem separata, una existens, non compateretur secundaria; quia ipsa in se comprehenderet omne esse, & omnem perfectionem, quæ posset competere propriæ speciei.

Secunda via, ad hoc idem probandum, sumitur ex hoc, quod esse comparetur ad formam. Nam habere esse perfectum est habere ipsum secundum exigentiam formæ. Ut tantum habeat

de esse, & de perfectione, quantum potest forma recipere. Habere autem esse imperfectum, est habere ipsum secundum capacitatem subjecti: ut in exemplo, si albedo esset nata esse separata, secundum naturæ cursum, tantum haberet de esse, quantum posset recipere: nunc autem quia est forma materialis, tantummodo habet de esse, & perfectione, quantum patitur capacitas subjecti, in quo recipitur. Vnde albedo non recipitur in materia secundum suum totum esse: sed secundum quod patitur capacitas materiæ.

In formis ergo separatis, in quibus ponimus esse perfectum, diversificatur esse secundum formam: ut ideò sit aliud, & aliud esse, quia est alia, & alia forma. Sed in formis materialibus forma diversificatur secundum esse: ut ideò sit alia, & alia forma, quia est aliud, & aliud esse. Cum ergo habere esse perfectum sit habere esse secundum exigentiam formæ; quando forma de se est una, tale esse erit etiam unum. Cum autem habere esse imperfectum sit habere esse, non secundum exigentiam formæ, sed secundum capacitatem materiæ; quando forma habet tale esse, cum huiusmodi esse non sequatur modum formæ, non oportet quod illud esse sit quid unum: poterit igitur plurificari: & plurificatio esse, plurificabitur etiam forma.

VLTERIVS Dicendum est; quod, sicut materia aliquando, unitur propter formam, aliquando forma diversificatur propter materiam: sic aliquando esse uniatur propter formam, aliquando forma plurificetur propter esse. Hinc quando esse est perfectum, tunc sequitur modum formæ; quia communicatur formæ secundum ejus exigentiam: & cum forma specifica de se sit una, oportet, quod illud esse etiam sit unum. Quando autem illud esse est imperfectum, &, consequenter, non communicatur formæ secundum ejus exigentiam; quantumcumq; forma illa de se sit una, cum possit plurificari tale esse, eo etiam plurificato, plurificabitur forma.

Concludamus ergo; quod, cum forma habet esse perfectum, tunc ex unitate formæ per se possit esse, ex consequenti, unitas ipsius esse: cum verò habet esse imperfectum, tunc ex pluralitate ipsius esse per se possit esse ex con-

Imperfectum autem verò secundum capacitatem subjecti.

1. Sic in formis separatis:

Posterius in materialibus.

Et proportionaliter de formâ loquendum respectu ipsius esse.

sequenti pluralitas formæ.

Idque ac-
commoda-
tur intelli-
gentijs.

HIS AVTEM PRÆLIBATIS, pa-
ret, quomodo Deus possit facere plu-
res intelligentias in eadem specie?

Imaginandum est enim, quòd, secun-
dum naturæ cursum, Deus det tantum
de esse ipsis substantijs separatis, quan-
tum possunt ipsæ recipere: secundum
quem modum loquitur *Dionysius 4. cap.
de Divinis nominibus*; quòd, *Sicut Sol non
ratiocinans, aut præligens omnia illuminat,
idque secundum quod sunt valentia par-
ticipare lumen: ita & bonum summum om-
nibus existentibus proportionaliter immittit
bonitatis totius radios.* Et hinc, si formæ
materiales non habeant esse perfectum
& totale, hoc fiat propter materiam in-
qua recipiuntur: at verò, si formæ im-
materiales non habeant esse perfectum
secundum suam speciem, hoc fiat, quia
Deus restringit eas, & non dat eis to-
tum esse secundum exigentiam propriæ
speciei.

Cum for-
mæ perfe-
ctio possit
restringi
per esse
quod habet
ab alio, ut
per esse in
alio.

Nulli autem dubium esse debet; quin,
sicut forma restringitur propter esse
quod habet in alio, & per hoc potest
plurificari: ita forma possit restringi
propter esse, quod habet ab alio: & in-
de habendo esse imperfectum possit
plurificari. Et secundum hoc posset
Deus ita restringere formam quam-
cumque separatam, & sic dare ei esse
imperfectum, & non secundum totam
exigentiam formæ.

Vnde tri-
pliciter esse
formæ limi-
tatur. Pri-
mò,

Secundò,

Tertiò.

Tripliciter ergo forma habet esse li-
mitatum. Primò ex parte sui; ut, quia
ipsa est determinata ad genus, & ad
speciem, oporteat, quòd esse in ea
receptum sit quid limitatum. Secun-
dò ex parte materiæ; ut, quia re-
cipitur in materiâ hâc vel illâ, idèd ha-
beat limitatum esse secundum disposi-
tionem materiæ. Tertio modo posset
intelligi, formam habere limitatum esse
ex parte Dei: quòd nempe ei non da-
ret tantum esse, quantum posset forma
recipere. Iste verò modus licet sit pos-
sibilis; tamen secundum ordinem, quem
videmus, non videtur esse conveniens.

Si primò:
poterit esse
plurificatio
sub eodem
genere,
non specie.

Cum ergo esse limitatur propter for-
mam: tunc secundum naturæ cursum
possunt esse plura esse in forma generis;
non autem in forma speciei: nam hoc
modo loquendo de esse, oportet, quòd
esse omnino sequatur modum formæ:

& cum forma generis non sit forma
una, poterit tale esse plurificari secun-
dum talem formam: sed, cum forma
speciei sit una, secundum cursum na-
turæ in eadem specie non plurificabitur
tale esse. Enimverò, cum esse limitatur
propter materiam, in qua recipitur for-
ma: vel propter agens à quo est forma
(quia utroque modo potest limitari
forma quantum ad esse; vel, scilicet,
quia recipitur in alio, ut in materia, vel
quia est ab alio, ut ab agente primo)
illud esse non est totale, & perfectum,
sive secundum totam exigentiam for-
mæ: unde poterit plurificari tale esse:
& per consequens forma, in eadem spe-
cie; non obstante quod huiusmodi for-
ma de se non sit multiplicabilis.

Secus si
secundò
& tertiò

ADVERTENDVM tamen propter
auctoritates, quæ possent inveniri con-
traire; quòd, sicut genus aliquando ac-
cipitur largè (dicimus namque, quod
in genere entium sit unum ens mensura
omnium: secundum quem modum lo-
quendi totum ens, quod est multa ge-
nera, dicitur unum genus) sic species
aliquando accipitur largè: juxta quod,
totus aliquis ordo Angelorum posset
dici una species, idque propter ali-
quam convenientiam specialem, quam
habent ad invicem. Secundum quem
modum accipiendi speciem Deus potuit,
& eum decuit facere plures Angelos in
eadem specie. Sed accipiendo propriè
speciem; prout differre specie est dif-
ferre formam; tunc non secundum istum
ordinem, quem videmus: sed secun-
dum alium ordinem, sive cursum re-
rum potuit facere Deus plures Ange-
los in eadem specie.

Sicut
ita &
cies ali-
quando
latè, al-
quando
strictè:
cipitur

Juxta
conve-
niens, j-
uxta 2. 1
conven-
est, et
plur. A
in ead-
specie.

AD ARGUMENTVM autem, Di-
cendum, quòd videatur implicare con-
tradictionem, plura esse in eadem spe-
cie; si forma illa habeat esse perfectum
& totale: secus, si habeat esse imperfe-
ctum & parziale, tunc equidem non est
inconveniens. Qualiter autem & quo-
modo hoc implicet contradictionem,
aut non implicet? est per supradicta ma-
nifestum.

Ad aliud autem in oppositum, Dicen-
dum, quòd non sit simile de supposito
& de materia. Nam materia est, quæ
secundum se restringit formam; ut au-
tem forma multiplicetur, debet esse re-
stricta

stricta per esse; & quia materia restringit esse formæ, poterit forma multiplicari per materiam. Suppositum autem non restringit ipsam, nisi quatenus habet materiam, partem sui. Sed, si sit suppositum immateriale, habebit esse perfectum & totale, secundum exigentiam suæ formæ. Videtur enim contradictionem implicare, formam specificam multiplicari secundum se; non autem implicare contradictionem, quod eadem multiplicetur per esse restricta. Et quia, secundum naturæ cursum, forma restringitur per materiam, naturale est formæ quod multiplicetur divisione materiæ. Non est autem secundum naturæ cursum, sed est ex Dei potentia absoluta, quod restringatur in esse ex parte Dei tribuentis esse. Unde dicimus quod Deus per absolutam potentiam hoc poterit facere.

Et hoc modo aliquantulum evasimus difficultates contingentes doctrinam hanc, quā ponebatur, possibile esse plures Angelos in eadem specie produci.

Hanc autem evasionem non omnino adhuc approbamus: quia nō est omnino clarum, quomodo Angelus possit habere esse perfectum, & diminutum, modo, quo dictum est?

DICIMVS ERGO, esse possibile, quod articulus dicit; modum tamen datum magis posuimus ad exercitandum legentium mentes, quā ad id, quod dictum est, pertinaciter asserendum.

QVÆSTIO II. QVODLIBETI VIII.

Vtrum Dæmones per suas actiones & effectus possint nobis naturaliter innotescere?

Hæc quæstio decidi potest ex ijs quæ habet Ægidius 2. d. 7. & 8. ubi examinat ea, quæ potest Dæmon vel Angelus in corpora inferiora, ferre per totam. Et ex ijs, quæ habet supra q. 3. hujus quodlibeti, quo etiam servantur ipse & Auctores ibi citati. Et hanc quæstionem generaliter de Angelis examinant Sententiarij 2. d. 2. & Summiste 1. p. q. 50. Vid. Puteanum ibidem art. 1. d. 1. & specialiter de Dæmonibus tract. de Dæmoniis d. 3. ubi speciatim examinat effectus Dæmonum in corp. humanā, ex quibus dignosci possit, aliquem esse Dæmoniacum. Vid. Alareon, tract. 6. de Angel. d. 1. cap. 2. ubi multos citat. Amic. tom. 2. de Ang. d. 1. sect. 1. Delrius in disq. mag. varijs locis.

Ægidius verò hic primò distinguit inter cognitionem, quam ductu rationis haurire

possumus de Angelis ex effectibus eorum generalibus & cognitionem, quam ex eorum revelatione possumus habere. Secundò resolvit ratione naturali nos posse cognoscere, Angelos esse: non tamen esse Dæmones: quāvis id possimus ex eorum revelatione. Et hac occasione explicat quid superaddat ratio Dæmonis supra rationem Angeli? tandem argumentis sub initium factis respondet. Hoc tenore.



Væritur secundò de Dæmonibus, quantum ad eorum actionem. Et est quæstio; Vtrum per suas actiones & effectus possint nobis innotescere, ex du-

ctu rationis; ita, quòd rationis ductu possit nobis innotescere, Dæmones esse?

ET VIDETVR quòd sic. quia aliqua videmus in effectibus, quæ non possunt reduci in motum coeli: oportet autem, quòd reducantur in operationes Dæmonum. Ponebatur autem exemplum de quodam Monacho, qui dicebatur deportatus fuisse à diabolo. Ponebatur etiam exemplum de quodam homine, de quo dicebatur, quod istis temporibus visus fuerit à multis in duabus civitatibus eadem die: & comparuisse coram duobus Iudicibus: & quidem dicebatur civitates illas fuisse multum distantes; hoc autem nullo modo fieri potuisse nisi arte Dæmonum. Addebatur quoque exemplum de artibus magicis. Ex ijsq; omnibus concludebatur, quòd ductu rationis scire possemus, Dæmones esse.

IN CONTRARIVM est: quia substantia invariabilis, cuiusmodi est substantia Dæmonum, non potest argui, nisi ex operationibus invariabilibus; iste enim fuit modus *Philosophorum*, qui ex motibus cælorum, qui sunt invariabiles, probaverunt esse intelligentias, quæ sunt substantiæ separatae, & invariabiles: cum ergo illæ operationes, de quibus argutum est, sint variabiles, ex talibus non potest probari substantia Dæmonum, nec aliqua substantia invariabilis.

R E S O L V T I O.

Quamvis ex ijs, quæ videmus, possumus generaliter cognoscere, esse aliquas substantias separatas, tamen hoc non possumus quoad Dæmones: tametsi specialiter hi se possint nobis revelare.

Responsio
affirmat.

De substan-
tijs separa-
tis,

Probatur:

Negatur de
Dæmoni-
bus.

Probatur.

Ex significa-
tione vocis,
Dæmon.

Quare di-
catur con-
cupiscentia
demens,
phantasia
proterva,
furor irra-
tionabilis?

Quæ qui-
dem sunt
proprie
in parte
sensitiva.

RESPONDEO: Dicendum, quod aliud sit quærere, Vtrum per ea quæ generaliter videmus possumus ductu rationis scire, Dæmones esse? & aliud, Vtrum Dæmones possint alicui se specialiter revelare? per ea equidem, quæ generaliter videmus, possumus probare, esse aliquas substantias separatas; generaliter enim videmus coelos moveri, & motus eorum continuari: quod esse non posset, nisi moverentur à virtute infatigabili: virtus autem infatigabilis non potest esse virtus in corpore; ergo moventur à virtute & substantiâ separatâ: ergo ex motibus coelorum, quos omnes vident, probare possumus, esse aliquas substantias separatas. Sed, quod huiusmodi substantiæ separatæ, quorum effectus generaliter videmus, sint Dæmones, probare non possumus.

Nam, secundum *Dionysium de Divinis nominibus cap. 4.* Dæmon dicit substantiam separatam malam: non malam secundum naturam, sed secundum voluntatis arbitrium. Est enim, secundum eundem ibidem, *Malum in Dæmonibus concupiscentia demens, phantasia proterva, furor irrationalis.* Malum enim in Dæmonibus est proponendo sibi finem, adhærendo fini, & in exequendo, quod proposuit. In proponendo sibi finem, Dæmon est concupiscentia demens: quia proponit finem malum. In adhærendo fini, est phantasia proterva: quia pertinaciter adhæret malo fini. In exequendo autem, quod proposuit, est furor irrationalis: quia irrationabiliter exequitur suum propositum.

Loquitur autem sic de Dæmonibus, *Dionysius* attribuendo eis, *Phantasiam, furorem, & concupiscentiam*; Nam, licet talia proprie sint in parte sensitiva; tamen, ex quibus Dæmones recesserunt à bono incommutabili, de eis loqui pos-

sumus, ac si haberent sensum & concupiscentiam. Vel dicere possumus, quod illa sint in Dæmonibus per effectus. Talia enim agunt, & taliter se habent in agendo, ac si esset in eis *concupiscentia demens, phantasia proterva, furor irrationalis.*

Analogice
tamen
etiam in
Dæmoni-
bus.

VISO, quid importetur nomine *Dæmonis*? scilicet, quod nomine *Dæmonis* intelligamus substantiam separatam malam: patet, per ea quæ generaliter videmus, non innotescere nobis, Dæmones esse. Nam licet generaliter possint nobis innotescere, esse aliquas substantias separatas; esse tamen substantias separatas malas, per ea, quæ generaliter videmus, non possumus probare.

Potest tamen Dæmon, si velit, se aliàs specialiter revelare: quia potest facere aliqua, quæ non possunt reduci, nisi in aliquam substantiam separatam. Visum est enim multoties, & audivimus ab his, qui dixerunt se vidisse, quod idiotæ loquerentur latinis verbis, & responderent ad quæstiones propositas: sed hoc non potest esse per influentiam coelestis corporis: oportebit igitur hoc esse per aliquam substantiam separatam moventem idiotæ illius linguam.

Potest dar
cognitio
naturalis
de existen-
tiâ Dæmonis
ex speciali
bus operi-

Et ideo quidem dicere possumus, Dæmonem aliqua facere posse, per quæ ductu rationis scire possumus, ibi adesse substantiam separatam. Sed præter hoc, posse etiam aliqua facere, per quæ non solum ostenderet, se esse substantiam separatam, sed etiam, se esse substantiam malam: ut si cooperaretur alicui, ut esset fornicarius, vel adulter, vel idololatra. Benè ergo dictum est, eò quod Dæmon sit substantia separata mala: quod possit se talem ostendere, sive, quod possit alicui revelare se esse talem: quod, licet per ea, quæ generaliter videmus, non possumus scire ductu rationis, Dæmones esse; specialiter tamen possint nobis innotescere aliqua, per quæ possumus arguere, quod sint Dæmones.

AD ARGUMENTVM, Dicendum; quod id, quod factum fuit circa Monachum, & circa hominem comparentem eadem die in longinquis civitatibus coram diversis Iudicibus: & id, quod fit in artibus magicis, non appareat

reat omnibus generaliter.

AD ARGUMENTVM autem in contrarium dicere possumus (ut fert *Philosophorum* opinio) quod nulla substantia separata possit movere aliquod corpus corruptibile; substantiæ enim separatæ (secundum *Philosophos*) non possunt immediate movere aliquod corpus hic inferius existens, nisi mediante motu cœli: ut potest patere ex 7. *Metaph.* ubi *Commentator* ait, quod nullum intransmutabile transmutetur materiale, nisi mediante corpore intransmutabili, sive mediante cœlo.

Sed hæc positio falsa est. Nam substantiæ separatæ non sunt omnino invariabiles; nam secundum *Damasceum* lib. 2. cap. 3. *Angelus est substantia intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera, incorporea, Deo ministrans, secundum gratiam, non secundum naturam immortalitatem suscipiens* Nam, secundum *Augustinum* lib. 1. de *Trinitate* cap. 1. *Omnis mutabilitas nonnulla mors est.* Eo ergo ipsò, quod Angeli ex natura suâ sint mutabiles, quandam in se mortalitatem habent. Quod autem ipsi sint mutabiles, patet per id, quod scribitur, *Iob 4. Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles: & in Angelis suis reperit pravitatem.* Igitur si ipsæ intelligentiæ de se non sint stabiles, non est inconueniens, quod alia variabilia exerceant. imò, adhuc datò, quod essent omnino invariabiles, non propter hoc concluderetur, quod non possent aliqua variabilia facere. Nam, nisi ab invariabili procederet variabile, nihil esset mutabile; oportet enim primum agens esse immutabile, à quo tamen omnia alia processerunt. Vnde & ipsi *Philosophi* ab ipsâ veritate coacti mobilia reduxerunt in immobile: quantumcumque igitur Dæmones essent invariabiles, possent tamen aliqua variabilia facere, per quæ innotesceret, eos esse.

QVÆSTIO III.

QVODLIBETI IX.

Vtrum Dæmones possint pati ab igne inferni?

Aliqua habet *Ægidius* in 2. d. 6. p. 2. q. 1. & 2. & 1. de *Paradyso*, purgat. & inferno. Et hanc materiam tractant *Scholastici* in 4. d. 44. *D. Thom.* q. 3. a. 2. *Pal.* q. 1.

Secr. q. 2. *Major* q. 6. *Dur.* q. ult. *Bon.* p. 2. *Ricard.* a. 3. quæst. 3. *Gabr.* q. 3. a. 2. *Soto* d. 50. quæst. 1. art. 2. *Occ.* quodlib. 5. quæst. 1. item *D. Thom.* 4. cont. gent. c. 90. & *Ferrar.* ibid. item quæst. 64. art. 3. & 4. & ibid. ejus *Discip.* & *Seft.* *Vasq.* d. 243. *Suar.* 3. p. disp. de *Purg.* *Bellarmin.* eadem disp. cap. 11. & 12. *Albertin.* ad 2. princ. phil. cor. 2. *Amicus* de *Angelis* d. 21. & alij cum *Philosophis* ubi de causâ instrum. & poten. iâ obediencia. li. Vide *Albert.* cit. cor. 3. & *Fiennu* in *Apolog.* contra *Santa Cruz.*

Ægidius verò controversâ questione, explicat, quid sit dolor? & quomodo propriè tantum referatur in sensu tactûs? & quod ibi vehemens non reperiatur sine immutatione reali; quamvis ipse formaliter sit immutatio intentionalis: docet quomodo dolor possit esse in *Dæmonibus*? & consequenter quomodo possint pati ab igne inferni? & inde argumentis satisfacit, per hoc, quod ignis ille agat, ut instrumentum.



DE PASSIONE Dæmonum quæritur tertio, Vtrum Dæmones possint pati ab igne inferni? & videtur, quod non: quia semper agens præstantius est patiente: sed ignis non est præstantior Dæmone: Ergo &c.

IN CONTRARIVM est quod legimus de divite epulante, quod anima ejus existens in inferno diceret, *se cruciari in illâ flammâ.* sed idem est iudicium de Dæmone, & anima separata: ergo si anima separata possit pati ab igne, etiam Dæmon.

RESOLVTIO.

Quamvis dolor propriè sit in sensu tactûs, improprie in appetitu: cum tamen potius sit intentionalis mutatio, quam realis: Dæmon dicendus est pati ab igne inferni dolorem, tamquam instrumento divinæ omnipotentiae.

RESPONDEO, Dicendum, quod, si videre velimus, quomodo Dæmon possit pati ab igne? videndum sit primò, quid sit dolor? & ex hoc apparere poterit, quomodo ignis inferni, virtute divinâ, possit in Dæmone causare dolorem?

Dolor

Dolor est
passio ani-
mæ senti-
tivæ:

Cujus sub-
jectum est
sensus

Sicut com-
placentiæ
& displici-
entiæ ap-
petitus

Quid sit?

Et quidem
tactus est
subjectum
proprium
doloris.

Qui non
est forma-
liter im-
mutatio
realis, sed
intention-
nalis:

Dolor autem non est passio natura-
lis, secundum quàm patiuntur corpora
naturalia: sed magis est passio animæ,
secundum quàm patiuntur corpora ani-
mata: & potissimè corpora animata
per animam sensitivam. Imò naturaliter
nihil dolet, nisi quod sentit: quapro-
pter in ipso corpore animalis sunt ali-
qua, quæ non dolent, quia non sen-
tiunt; ut ossa. Si ergo non doleant, nisi
quæ sentiunt, & ubi non est sensus, ibi
non possit esse dolor: Dicere oportet,
quòd, sicut complacentia & displicentia
sunt in appetitu, dolor & ejus opposi-
tum sint in sensu.

Veruntamen quia ipsa displicentia
dicitur quidam dolor: &, quia dicunt
aliqui se dolere, quando ijs displicet id,
quod habent: ideo inveniunt aliqui,
quod dolor sit in appetitu: sed dolor, ut
hic de dolore loquimur, est in sensu.

Dicimus ergo, quod *dolor sit percep-
tio læsivi facta in sensu à re sensibili.*
Sicut visio est *perceptio rei visibilis facta
in visu à re visibili.* Hujusmodi autem
perceptio, & hujusmodi mutatio facta
in visu à re visibili non est, nisi quod-
dam intentionale impressum visui: sicut
quælibet perceptio & quælibet immu-
tatio facta in quolibet sensu non est nisi
quoddam intentionale impressum sen-
sui quia hoc est commune omni sensui,
quod immutetur intentionaliter, &
quòd sit susceptivus specierum sine ma-
teria. Dolor ergo est formaliter quæ-
dam immutatio intentionalis per quam
fit perfectio læsivi.

Ex hoc autem apparere potest, in
quo sensu sit propriè dolor, quia non
est propriè nisi in sensu tactus. Nam,
cùm dolor sit immutatio sensibilis, per
quam percipitur læsivum & corrupti-
vum: & cùm animal non corrumpatur,
nisi à calido & frigido: oportet dolo-
rem ab hujusmodi qualitatibus tangibi-
libus esse in sensu tactus, tamquam in
subjecto.

Advertendum autem, quòd, quamvis
numquam sit dolor sine immutatione
reali; formaliter tamen dolor non sit im-
mutatio realis, sed intentionalis: sed quia
immutatio intentionalis in sensu tactus
non potest esse fortis sine immutatione
reali, ideò dolor, qui dicit immutatio-
nem intentionalem forte non potest

esse sine immutatione reali. Sed si pos-
set esse æque fortis immutatio intentio-
nalis sine immutatione reali, sicut est
cum immutatione reali, major esset do-
lor ex illà immutatione intentionali
solùm, quàm nunc sit ex immutatione
intentionali & reali simul.

Nam, ut patet, in tantum est dolor,
in quantum quis sentit, & percipit se
dolere: sed constat, quòd immutatio
realis impediat perceptionem sensus:
hinc, quia pupilla est abscolor, melius
percipit immutationes factas à colori-
bus: sicut etiam caro quantò est magis
media proportio tangibilium, & quan-
tò magis est denudata ab excellen-
tiss tangibilium, per eam percipiun-
tur melius tangibilia. Nervus enim
& caro realiter calefacta præstant im-
pedimenta perceptioni sensibilium:
ideoque si esset in sensu tactus fortis
immutatio intentionalis absque reali,
sensus fortiùs sentiret, & magis perci-
peret se dolere: &, per consequens,
magis doleret; nam percipere se dolere
est dolere: qui autem dolorem non per-
cipit nequaquam dolet.

DICIMVS ERGO, quòd, cum do-
lor naturaliter semper habeat annexam
immutationem realem, numquam sit
alicubi dolor naturalis, nisi ibidem sit
duplex immutatio; scilicet, una realis,
quæ est contraria naturæ: & alia in-
tentionalis, quæ est contraria sensui:
immutatio autem realis lædit naturam;
immutatio verò intentionalis lædit sen-
sum, & facit sensum percipere dolo-
rem. Imò, quia intentio causatur à re,
solùm possunt illa corpora causare in-
tentionem sic lædentem sensum, quæ
possunt lædere & corrumpere naturam,
in quâ fundatur sensus. Cùm ergo so-
lùm à qualitatibus tangibilibus depen-
deant corpora animalium, & qualitates
illæ solùm possint corrumpere naturam
animalis: tales etiam solùm qualitates
poterunt causare dolorem in sensu.

TRIA ERGO declarata sunt: Pri-
mò ostensum est, quid sit dolor? nimi-
rum, quod sit immutatio intentionalis,
fortis, facta in sensu tactus, læsiva ejus.
Secundò ostensum est à quibus cause-
tur dolor: nimirum, quod cause-
tur ab illis qualitatibus, à quibus dependet na-
tura, & quæ possunt corrumpere natu-
ram,

Realis at-
tem poti-
us impedit
lorem:

Et quam-
plùs qui-
percipit
lorem, et
tò plùs
let.

Dolori-
men nar-
raliter e-
annexa
mutatio
realis.

Hinc de
rem cau-
sant soli
corrupti

ram, in quâ fundatur sensus: Tertiò ostensum est etiam secundum quid magis habeat esse dolor? nimirum, quòd si posset esse immutatio intentionalis læsiva sensûs, sine immutatione reali, læsiva naturæ, magis esset ibi dolor: quia (ut dicebatur) magis dolere nihil est aliud, quàm magis sentire & percipere dolorem; & quia immutatio realis impedit perceptionem sensûs: quòd ideò diminueret perceptionem doloris.

HIS VISIS, potest patere, quomodo Dæmon patiatur ab igne? nam tamen si sit contra naturam substantiæ intellectualis, quòd immutetur ab istis corporalibus realiter, non est contra naturam ejus, quòd immutetur intentionaliter.

Videmus equidem, quòd intellectus noster possibilis immutetur intentionaliter à Phantasmatis, quæ habent esse corporale, corruptibile, & hic & nunc: sed hoc non sit in virtute propria, sed in virtute luminis intellectûs agentis. Sicut ergo phantasmata, quæ sunt quid corporale & corruptibile, in virtute alterius; scilicet in virtute luminis intellectûs agentis, possunt juvare intentionaliter intellectum possibilem, qui est quid intelligibile; multò magis corporalia; puta, ignis inferni, prout est instrumentum divinæ justitiæ, & in virtute Dei, poterit immutare intentionaliter intellectum Dæmonis: cum hac tamen differentiâ, quòd immutatio facta intentionaliter in intellectu possibili in virtute luminis agentis ita sit cognitio, quod non sit dolor: immutatio verò intentionalis facta in intellectu Dæmonis sit dolor, & cruciatus.

Quod ex hoc contingit, quia intellectus noster possibilis non dependet ab intellectu agente quantum ad esse, & quantum ad substantiam: sed solum quantum ad cognitionem: dicebatur autem, quòd solum illud possit causare dolorem in potentia cognitiva, à quo dependet natura & substantia, in qua fundatur illa potentia. Igitur in virtute intellectûs agentis facta immutatione in intellectu possibili, non erit dolor & cruciatus, sed tantum cognitio. Verum quia Dæmon secundum naturam & substantiam plus dependet à virtute divinâ, quàm corpus alicujus animalis à qualitatibus tangibilibus, immutatio intentionalis causata in Dæmone ab igne, virtute di-

vinâ magis erit dolor & cruciatus, quàm immutatio intentionalis causata in sensu a qualitatibus tangibilibus: & consequenter, est ibi maximus cruciatus & dolor: quia cum non sit ibidem immutatio realis, magis percipietur ibi dolor.

SED DICES, adhuc non datur modus, quòd causetur iste dolor. Ad hoc Dicendum, quòd ibi sit aliquid secundum naturam, & aliquid supra naturam: secundum naturam est, quòd intelligentiæ per suum intellectum operentur in ista corpora, ipsum ad ea applicando; cum enim sint naturæ intellectuales, oportet quòd intelligendo agant: hoc quippe modo sunt in loco, & hoc modo agunt, applicando suam virtutem, & suam potentiam ad hujusmodi corpora, in quæ agunt: cum ergo non habeant nisi intellectum & voluntatem, applicando ea ad corpora, agunt in corpora. Intellectus ergo Angelici applicatio ad ista corporalia est possibilis. Et quod ex tali applicatione transmutetur corpus, hoc etiam est naturale; potest enim Angelus per talem applicationem movere corpus. Sicut etiam naturale est, quòd fine tali transmutatione subinde talis sit applicatio. Sicut enim in corporibus aliquando corpora sic se contingunt, quòd se transmutent; ut ignis & aqua: aliquando sic se contingunt, quòd se non transmutent; ut duæ sphæræ cœlestes: sic & Angelus aliquando ita applicat suum intellectum ad corpus, quòd ipsum moveat; ut patet in istis cœlis mobilibus: aliquando sic applicat, quòd nullam transmutationem faciat; ut patet in cœlo empyreo. Nam cum Angeli sint in cœlo empyreo, & cœlum istud dicatur Angelorum locus, oportet, quòd hujusmodi Angeli applicent virtutem suam ad ipsum cœlum; nullam tamen transmutationem faciunt circa ipsum. Ex quo patet, naturale esse, quòd Angeli boni vel mali absque transmutatione corporum possint applicare intellectum suum ad ipsum corpus.

Sed, quòd ex tali applicatione immutetur intellectus Angeli, hoc non est naturale: sed est supra naturam. Angelus enim malus, sive Dæmon habens intellectum applicatum ad ipsum ignem inferni, non transmutat ipsum ignem: sed contra, ille ignis in virtute divinâ immutat intentionaliter ipsum intellectum

Angeli naturaliter suo intellectu operantur in corpora;

Cum per eum applicentur ijs.

Subinde cum transmutantur

Subinde fine.

Ex tali ratione applicacione non immutatur naturaliter intellectus Angelus

Quæ applicantur passioni Dæmonum:

Quòd, scilicet, intentionaliter immutentur

Sicut intellectus poss. à phantasm.

Cum dolore tamen,

Quòd non contingit in intell. poss.

Diversitas ratio.

Quod sit
virtute
Dei,

Qua, pos-
sità tali ap-
plicatione,
intentio.
naliter mu-
tatur

Dolent
etiam, quod
igni alliga-
ti sint ut
etiam ani-
mæ damna-
re.

Quomodo
patiantur
hic in aere
existentes?

Dæmonis: secundum quàm immutatio-
nem Dæmon summè dolet. Et hoc modo
crematur anima, vel Dæmon, secundum
Greg. in Dialogo: quia videt se cremari: non
quòd realiter cremetur, & ita doleat: sed
quia percipit, se dolere; verè enim dolere
nihil est aliud, quàm sentire, & percipere
se dolere. Hoc enim modo animal dolet,
quia per sensum suum intentionaliter
immutatum dolorem percipit. Nam (ut
dicebatur) nihil aliud est dolere, quam
percipere dolorem. Et quia visus po-
test accipi pro omni cognitione, sive
perceptione, & pro omni sensu: dicere
possumus, quòd nihil sit aliud dolere,
quàm videre se dolere, id est, sentire &
percipere dolorem.

POSSVMVS AVTEM dicere, quòd
dupliciter patiatur Dæmon, vel anima:
Primò, quia alligatur cum igne & ig-
nis ille est carcer ejus (quod potissimè
erit post diem judicij) quia ligatus cum
illo igne mutatur ab eo intentionaliter,
quæ intentionalis immutatio est vere
dolor, & verè cruciatus ejus. Et, licet
hoc sit naturale, quòd Dæmon per suam
voluntatem possit applicare suum intel-
lectum ad corpora; tamen ex tali appli-
catione non dicitur ligatus ad corpora:
quia, sicut per voluntatem applicat, ita
per voluntatem potest non applicare: &
consequenter, potest se ab illo corpore
separare: sed applicatio ista ad ignem
non est Dæmonis voluntate, sed Dei
virtute: ita quòd, si vellet, non posset se
separare ab ipso igne, & propter hoc di-
citur alligatus igni, & dicitur ignis ejus
carcer: quod tamen erit potissimè in
die judicij. Nunc autem propter no-
strum exercitium permittuntur hic esse
in hoc aëre caliginoso, ubi affliguntur
& cruciantur, ac si essent in inferno:
quod totum virtute divinâ fieri potest.

VTRVM AVTEM portent ignem
inferni secum, vel non portent? nihil
ad propositum: quia potest Deus sine
causa secunda quidquid potest cum
causa secunda: idèd sine igne potest im-
mutationem facere in Dæmone simi-
lem ei quam faciebat cum igne. Erit er-
go, saltem post diem judicij in ipsis Dæ-
monibus, & nunc est in ipsis animabus
damnatis una poena, alligatio ad ipsum
ignem, vel incarceration in ipso igne.

Alia autem poena erit, & est conti-
nuè, cruciatio per hujusmodi ignem. Ex

quibus omnibus patet, Quod Dæmo-
nes patiantur ab igne, & qualiter ab ipso
patiantur.

AD ARGVMENTVM Dicendum,
quòd agens, quod agit principaliter sit
præstantius patiente: non verò agens,
quod agit instrumentaliter, & in virtu-
te alterius. Hinc non oportet phantasma,
quia non virtute propriâ, sed in virtute
luminis intellectus agentis movet in-
tellectum possibilem, esse præstantius
intellectu possibili. Sic etiam, quia ignis
non in virtute propriâ, sed in virtute
divinâ cruciat Dæmonem, non debet
esse præstantior Dæmone.

QVÆSTIO IV.

QVODLIBETI X.

*Vtrum Dæmon, vel anima possit simul pati
contrarias poenas?*

Latiore hujus quæstionis decisio peti potest ex *Ægidio*
loco citato de inferno & purgatorio. Et Auctoribus su-
priori quæstione citatis.

*Ægidius verò hic, propositis argumentis:
dat differentiam inter immutationem rea-
lem, & immutationem intentionalem, docetq;
in ordine ad hanc ultimam, frigus & calo-
rem non repugnare; unde concludit, ab utro-
que damnatos posse simul pati: & hoc latè
deducit explicatq; per impressionem specie-
rum à contrarijs qualitatibus in eodem pun-
cto aëris. His terminis.*



NUNC quæritur quartò:
Vtrum Dæmon, vel ani-
ma possit simul pati con-
trarias poenas? & videtur,
quod non: quia nihil unū
& idem potest moveri
contrarijs motibus: ergo nec simul pati
contrarias poenas.

IN CONTRARIVM est, quod di-
citur *Iob 24. Ad nimium calorem transcat
ab aquis nivium: & usque ad inferos pecca-
tum illius.* Erit ergo in inferno poena fri-
goris, & caloris: aut ergo simul: aut non
simul: si non simul, hoc esset eis refrige-
rium: sed ibi nullum est refrigerium;
ergo simul habent utramque poenam.

RESOLVATIO.

*Cum multum intersit inter immutatio-
nem realem, & immutationem intentiona-
lem: & nullo modo repugnet aliquid si-
mul*

mul immutari intentionaliter à contrarijs qualitatibus: Dicendum est, eo sensu damnatos actu pati contrarias pœnas.

liter reciperentur in eodem puncto oculi.

Ostenditur
ex Aucto.

RESPONDEO: Dicendum, quòd glossæ Sanctorum videantur dicere, quòd ibi sit pœna frigoris & caloris: Vnde Beda exponens illud verbum Evangelij: *Ibi erit fletus & stridor dentium*; fletus enim ait, de ardore: stridor dentium de frigore solet exire. Et Haymo exponens hanc auctoritatem dicit; *Metaphora membrorum pœnas describit tormentorum*; solent enim (ut ait) oculi fumo cocti lacrymas producere: dentes verò nimio frigore stridere. Ostenditur ergo (ut dicit) quod reprobi in inferno & calorem intolerabile, & frigus sustinebunt. Et quia sic Sancti loquuntur, ideò volumus ostendere modum, quò possit hoc esse: scilicet, quòd simul possint pati pœnam frigoris & caloris. Propter quod

Secundum
immutatio-
nem rea-
lem non
possunt
esse contra-
ria in eo-
dem, bene
tam en se-
cundum
intent.

Declaratur
ex specie-
bus colo-
rum in
aëre,

Sciendum, quòd aliter sit in immutatione reali, aliter in immutatione intentionali loquendum. Nam secundum immutationem realem non possunt simul esse contraria in eodem: sed secundum intentionalem possunt: imò cogimur ponere, quòd secundum immutationem intentionalem possint contraria simul esse: cum colores contrarij diametraliter imprimant speciem suam in eodem puncto medij. Nam si in una parte sit color albus, & in opposita sit color niger; tunc quilibet color multiplicabit speciem suam per totum medium: propter quod in eodem puncto medij erit species nigri & albi.

SED DICES, quòd hoc diametraliter esse non possit; nam oculus intentionaliter recipit: & tamen in eodem puncto oculi non recipitur simul diametraliter species albi & nigri.

Et oculo.

PROPTER quod, Sciendum, quòd oculus non recipiat species colorum, nisi ex altera parte tantum, videlicet ex parte anteriori. Sed si oculus esset separatus, stans in medio aëris: & esset tam parvus, ut posset facile recipere impressiones per totum: tunc, si ille oculus haberet colorem album ex parte una, & nigrum ex parte altera, oporteret, quod species albi & nigri diametra-

Hoc ergo modo imaginabimur de poenis, quòd post diem iudicij non erit alteratio realis: sed solum erit alteratio intentionalis. Damnati autem erunt in inferno, qui creditur esse in medio terræ; nam medium terræ est locus infimus & vilissimus: cum ibi terra sit fæx elementorum: unde medium terræ est quasi fæx fæcis: & congruum sit, quòd in fæcibus, & in vilissimo loco existant, qui bona mutabilia, & vilia bono incommutabili prætulerunt. Secundum quod damnati habebunt carcerem frigidum; quia erunt in medio terræ: habebunt autem ignem calidum. Ignis autem ille non calefaciet terram, quia cessabit realis alteratio elementorum. Ignis tamen & terra, virtute divinâ, poterunt intentionaliter immutare Dæmones, & homines damnatos ibi existentes: propter quod simul pati poterunt à frigore & calore.

Post iudicium tantum erit mutatio inten.
Tumque damnati in medio terræ frigidissimi loco vi-
liſſ.

Et igne calidissimo pati-
entur.

Quod sic declaratur; nam immutatio intentionalis tripliciter diversificatur: scilicet per propinquum, & remotum: per obliquum & diametrale: per reflexum & rectum. Immutatio autem intentionalis propinqua est fortior, quàm remota; ut etiam est realis; fortius enim calefit quis propinquus igni, quàm remotus. Rursus immutatio diametralis fortior est, quàm obliqua; ut, sol in æstate magis nos calefacit; idque quia nos respicit magis diametraliter, quàm in hyeme, quando magis obliquè. Sic etiam immutatio recta est fortior, quàm reflexa. Illud autem, sol v. g. dicitur illuminare rectè, quòd aspiciat rectè, cujus signum est, quod non projiciat umbram: illud verò reflexè, quòd aspiciat obliquè, cujus signum quod ad latus hoc umbram projiciat; & nisi daretur illuminatio reflexa, ubi non esset solis aspectus rectus essent penitus tenebræ.

Declaratur
ex diviſio-
ne tri-
membra-
ri inten-
tionalis
immutatio-
nis. propin-
quæ, remo-
tæ &c.

Quæ non
naturaliter,

Vbi advertendum, quòd, licet hic ita fiat naturaliter; posset tamen virtute divinâ tam fortis esse immutatio remota, quàm propinqua: & obliqua, quàm diametralis, & reflexa quàm recta. Et, secundum hoc poterit acerbitas poenarum contrariarum esse æqualis; ut terra & ignis: & elementum frigidum & ca-

Sed virtute
divinæ
possunt
esse æquæ
efficaces.

lidum sic, virtute divinâ, intentionali-
ter immutent Dæmones; ut elemen-
tum remotius non minus immutet,
quàm propinquius: nec immutatio ob-
liqua sit debilior, quàm diametralis: im-
mutatio reflexa sit æquè fortis, ac recta.
Quibus omnibus concurrentibus, cau-
sata erit acerbitas poenæ, tam frigoris,
quàm caloris; ut quasi sint omnino ab-
sorpti à poenâ. Et ideo, *Nec ratio, nec
sapientia, nec scientia dicitur esse apud
inferos*, ut habetur *Ecclesiastici* 9. quia,
scilicet, non vacabit eis liberè cogitare,
nec ratiocinari propter nimiam acerbita-
tem poenæ.

AD ARGVMENTVM autem Di-
cendum; quòd non possint esse simul
in eodem tales immutationes reales;
quia inter talia invenitur contrarietas:
sed intentionales possunt; quia non ha-
bent propriè contrarietatem.

DISPV T. III.

De pertinentibus ad ens merè corporale.



Ostea quærebatur de
creatura merè corpo-
rali. Et circa hæc quæ-
rebantur quinque: tria
de materia: unum de
forma: & unum de
composito. Materia au-
tem potest comparari ad tria: ad agens,
cui subiicitur: ad ea, quæ sunt in ea, à
quibus perficitur: ad intellectum no-
strum, à quo cognoscitur. Vt compa-
ratur ad agens, erat quæstio de mate-
ria, Vtrum de costa Adæ sine additio-
ne materiæ, potuerit fieri Eva? ut ad
ea, quæ sunt in materia, à quibus per-
ficitur, erat quæstio, Vtrum in mate-
ria sit potentia activa? ut comparatur
ad intellectum, erat quæstio, Vtrum
possit ab intellectu nostro intelligi sine
forma? quarta quæstio, circa hæc corpo-
ralia, erat de forma, non de substan-
tiali, sed accidentali; Vtrum calor vel
aliqua forma accidentalis intendatur se-
cundum gradus in essentia? quinta
quæstio circa hæc corporalia erat de
composito corporali consecrato; ut pu-
ta de templo, vel de Ecclesia: & erat
quæstio, Vtrum si martyr occideretur

in Ecclesia, sicut fuit ibi occisus Bea-
tus Thomas, esset propter hoc recon-
cilianda? de quibus sit

QVÆSTIO I.

QVODLIBETI XI.

*Vtrum de costa Adæ, sine additione
materiæ, potuerit formari Eva?*

Hanc materiam tractat Ægidius in 2. d. 18. p. 2. & 3.
& ibid. singulariter Greg. Arimin. item cum D. Thoma
& Scoto eadem dist. Sententiarij passim omnes. Et cum
D. Tho. Summistæ 1. p. de creatione hominis. & Scriptu-
ristæ in c. 2. gen. à Lap. Pererius, Marius.

Ægidius verò hic argumentis utrimque
productis, ostendit equalis esse potentiæ, fa-
cere de parvo magnum, & contra, sine sub-
stractione vel additione materiæ; ac, face-
re de nihilo aliquid, & contra. Idque dupli-
ci ratione: Primò, per comparisonem ma-
teriæ ad quantitatem ab una parte, & qua-
litatem ab altera: Secundò, per compara-
tionem materiæ ad quantitatem ab una,
& formam substantialem ab altera parte.
Ex quo statuit, hoc non esse possibile agenti
naturali; quamvis possibile sit agenti primo,
cui competit, posse creare. Idque dicit factum
esse in hac productione Evæ.



Vantum autem ad pri-
mum, sic procedeba-
tur: & videbatur, quòd
de costa Adæ, sine ad-
ditione materiæ, non
posset formari Eva.
Quia, si de tanta materia, quanta fuit
in costa Adæ, posset fieri Eva absque
additione materiæ, etiam de modica
materia posset fieri multa materia: ergo
de grano milij posset fieri rotus mun-
dus; quod videtur inconveniens.

IN CONTRARIVM erat: quòd,
si de costa Adæ non potuerit fieri Eva,
sine additione materiæ, hoc ideo esset,
quòd materia illa, quæ, dum erat in
costa, erat subiecta parvæ densitati, non
esset rarefacta in Eva: nec in eadem
potuerit subesse tantæ densitati, quanta
erat corporis Evæ. Sed constat, quod
majus

majus sit, quantitatem sine substantiâ subsistere quantumcumq; modicæ densitati, quàm modicum de materia subsistere quantumcumque magnæ densitati: sed Deus facit in Sacramento Altaris quòd quantitas panis, sine substantia, subsistat densitati panis; ergo potuit facere, quòd modicum de materia costæ inexistens postea subesset illi magnæ densitati totius corporis Evæ.

R E S O L V T I O.

Quamvis nullum agens naturale possit ex parvo non rarefacto, & sine additione materiæ facere magnum, cum tale agens non habeat potentiam in ipsam materiæ essentiam: tamen Deus hoc potest; cum habeat potentiam in ipsam essentiam materiæ: ex qua potest parvam materiam constituere sub majori quantitate. Hoc autem fecit, dum de costa Adæ Evam produxit.

RESPONDEO: Dicendum, quòd sicut paris est potentiæ, facere de parvo non rarefacto magnum, sine aliquo addito; ac facere de nihilo aliquid; sic etiam paris sit potentiæ, facere de magno non condensato parvum sine alicujus subtractione; ac facere de aliquo nihil. Et, quia solus Deus potest facere de nihilo aliquid, & è converso; ideo solus Deus possit facere de parvo magnum, & è converso, sine alicujus vel rarefactione, vel additione. Quod autem paris potentiæ sit hoc facere; ac facere de nihilo aliquid, duplici viâ declarare possumus: quarum prima sumitur, secundum quod materia comparatur ad quantitatem, & ad qualitatem: secunda, prout materia comparatur ad quantitatem, & ad formam substantialem.

PRIMA VIA sic patet: nam aliter comparatur materia ad quantitatem: aliter comparatur ad augmentum: aliter ad alterationem. Nam alteratio potest fieri sine additione, & subtractione materiæ; materia enim, quæ erat sub forma calidi, potest postea fieri sub forma frigidi, nullo addito vel subtracto: impossibile tamen est, quòd fiat augmentum, nullo addito; vel diminutio nul-

lo subtracto. Si autem materia incipiat esse sub majori quantitatis extensione, quam prius erat, & hoc per rarefactionem: tunc non erit propriè augmentum. Vnde *Philosophus in libro de generatione, cap. de augmento* ait; *Quod si ex aqua generetur aer, non dicimus fieri augmentum: sed major humor generatus est.* Impossibile enim est, secundum eundem librum eodem & capite, fieri augmentum nullo adveniente, aut fieri diminutionem nullo recedente. Hinc rectè possumus arguere; istud est augmentatum, ergo huic est addita aliqua materia.

Si autem est augmentatum aliquid propriè sine additione materiæ: tunc agens illud, quod ita potest augere sine additione materiæ, potest ipsam materiam multiplicare: & tunc virtus ejus se extenderet ad ipsam materiam. Sed, cum materia non præsupponat aliquid aliud: sed ipsam omnia alia supponant; agens, quod habet sic posse super ipsam materiam, est agens primum, & est agens, quod potest creare: quia materia de nullo produci potest. Ad quod

Advertendum, quòd materia, quantum est de se, non habeat partem & partem, nec sit multa nec pauca: sed omnia ista competant ei per quantitatem. Sed quamvis habere partem, & dividi competat materiæ per quantitatem: veruntamen est alia, & alia materia sub alia, & alia parte quantitatis. Nam, sicut forma specifica in rebus materialibus non multiplicatur, nisi quia recipitur in diversis partibus materiæ: attamen hujusmodi forma recepta in alia, & alia parte materiæ verè est alia & alia, sic etiam, quamvis materia non dividatur, nisi per quantitatem; existens tamen sub alia, & alia parte quantitatis est alia, & alia materia.

Nullum ergo agens potest facere materiam sub majori quantitate, nisi habeat potentiam super ipsam essentiam materiæ: cum major quantitas ipsam essentiam materiæ diversificet. Et, quia solius agentis, quod potest creare, est habere potentiam super essentiam materiæ, ideo benè dictum est, quòd paris potentiæ sit, facere de minori non rarefacto majus, nullo addito, ac facere de nihilo aliquid. Quia hoc est potestatem habere super ipsam essentiam ma-

Quæ ex se non habet partem & partem.

Sed à quantitate.

A quâ habet diversas.

Paris potentia est facere de parvo non rarefacto magnum ac de nihilo aliquid.

Probatur

Primò

Ex diversa materiæ comparatione ad qualitatem & quantitatem.

teriae : sed habere potestatem super ipsam, essentiam materiae est posse creare: ergo paripotentiae est hoc, & illud. Igitur, quia materia aliter, & aliter comparatur ad quantitatem, & qualitatem: patet, quod, licet agens naturale possit transmutare materiam de qualitate ad qualitatem, & possit ipsam alterare absque additione, vel subtractione materiae; non tamen possit eam augmentare, vel diminuire absque additione, vel subtractione.

2. Ex diversa comparatione materiae ad quantitatem, & formam substantialem,

Hae enim eam non diversificat secundum essentiam:

Bene tamen quod nunc, quamvis per accidens.

Hinc agens naturale non habens potentiam super essentiam materiae.

Non habet potentiam super quantitatem

SECUNDA VIA ad hoc sumitur ex eo, quod materia aliter & aliter comparatur ad quantitatem, & ad formam substantialem. Secundum quod, dicere possumus, quod quantitas plus diversificet materiam, quam forma substantialis: nam forma substantialis diversificat materiam solum, quantum ad esse: sed nullo modo diversificat eam, quantum ad essentiam. Vnde *Philosophus primo de generatione*, loquens de generatione substantiali, & quaerens, Vtrum remaneat eadem materia sub diversis formis? ait; *Quod ens, quod subijcitur*, id est, materia *manet eadem: esse autem non manet idem*. Forma ergo substantialis nec vere per se, nec verè per accidens diversificat essentiam materiae, sed solum variat esse: quantitas autem, licet per se non diversificet essentiam materiae (quia essentia materiae per se diversificari non potest) diversificat tamen ipsam per accidens. Vel, ut clarius loquamur, licet materia secundum essentiam non sit diversa; est tamen alia & alia sub diversis partibus quantitatis.

Et quia agens naturale nullo modo habet potentiam super essentiam materiae (quia nullo modo potest ipsam essentiam materiae diversificare) habet autem super ipsum esse, vel existentiam (quia potest ipsum esse variare) ideo agens naturale potest resolvere rem corporalem usque ad formam substantialem (quia potest aliam & aliam formam substantialem inducere) non autem potest resolvere usque ad quantitatem, ut inducat aliam & aliam quantitatem in materiam, nisi per additionem materiae: ut verò nullo addito faciat materiam esse sub majori quantitate, est agenti naturali impossibile; tunc enim deberet habere potentiam

super ipsam essentiam materiae: & per consequens, habere potentiam creandi.

Inde est quod solus Deus possit augmentare materiam, quia solus ipse habet potentiam super essentiam materiae.

Quam habet solus Deus.

Inde est etiam cur dimensiones indeterminatae dicantur praecedere formam substantialem in materia: quia quantitatem materiae quodlibet agens naturale praesupponit. Et cum huiusmodi quantitas determinetur per formam substantialem: ideo dicatur quantitas indeterminata quidem praecedere formam substantialem: determinata verò ipsam sequi.

Hinc etiam quantitas indeterminata praedat.

Determinatur sequitur formam substantialem.

Advertendum tamen, quod quantitas indeterminata praecedat formam substantialem per accidens, non per se. Per accidens autem praecedit ex duplici capite, primo & ex parte materiae, secundo ex parte agentis.

Idque per accidens.

Ex parte quidem materiae; quia accedit formae, quod perficiat materiam mediante quantitate; in tantum enim perficit eam mediante quantitate, in quantum invenit materiam quantam: & talem eam perficit, qualem eam invenit. Sed si posset fieri, quod reciperetur forma in materia non quantam, multo magis perficeret eam: quia non posset separari ab ea. Vnde quantitas praecedit per accidens, sicut aer in tactu est medium per accidens, & sicut clypeus est medium per accidens, ut percutiatur clypeatus: unde, si non esset clypeus, multo magis percuteretur clypeatus.

Ex duplici quidem capite.

Et ideo forma si reciperetur in materia non quantam, magis perficeretur.

Et etiam ex parte agentis naturalis quantitas per accidens praecedit formam substantialem: scilicet ex eo, quod agens naturale possit quidem in eandem materiam inducere aliam formam substantialem; non tamen aliam quantitatem. Nam ut (dictum est) agens naturale, nec per se, nec per accidens, habet posse in ipsam essentiam materiae: nullo ergo modo potest essentiam materiae in esse producere, nec per se nec per accidens. Ideoque agens naturale non potest creare; quia tunc haberet potentiam in ipsam essentiam materiae per se. Nec potest facere materiam esse sub majori quantitate, quam sit, absque additione alterius materiae: quia per accidens, sive ex consequenti, haberet potentiam

tentiam in ipsam essentiam materiæ: scilicet, in quantum sub alia & alia parte quantitatis esset tunc alia & alia essentia materiæ. Vnde patet; quomodo sit per accidens respectu quantitatis, & etiam ex parte agentis naturalis, quòd hoc non possit exspoliare materiam suâ quantitate, nec possit inducere in materiam quantitatem aliam; licet possit ibi inducere aliam formam substantialem: hoc equidem non est propter ipsam quantitatem, sed propter ipsam materiam: inde enim accidit quod agens naturale non habeat potentiam in ipsam quantitatem materiæ; quia si haberet potentiam in ipsam quantitatem, haberet etiam potentiam in ipsam essentiam materiæ, ut est diffusius declaratum. Benè ergo dictum est, quòd quantitas præcedat formam substantialem in materia per accidens, non per se.

HIS VISIS PATET, quod nulum agens materiale habeat potentiam in ipsam essentiam materiæ; unde nec possit materiam aliquam de novo producere: nec in ipsam quantitatem; unde non possit eam augmentare, sine additione materiæ: idque ideò, quia tale agens nullo modo habet potentiam super ipsam essentiam materiæ. Deus autem, quia per omnem modum habet potentiam super ipsam essentiam materiæ, potest materiam de novo producere, & potest in talem materiam productam maiorem quantitatem inducere.

Nam, quòd agens naturale non habeat potentiam in ipsam quantitatem materiæ, hoc non est (ut dicebatur) ratione quantitatis: sed ratione materiæ: quia, scilicet, non potest habere huiusmodi potentiam super quantitatem, nisi, ex consequenti, habeat potentiam super ipsam essentiam materiæ, eo quòd quantitas ipsam essentiam materiæ multiplicet. Cùm ergo Deus super ipsam essentiam materiæ habeat virtutem & efficaciam, poterit in ipsam materiam producere maiorem quantitatem: & poterit eam, ut sibi placuerit, multiplicare, & augmentare.

Propter quod de materia, quæ erat sub costa Adæ, potuit formare Evam: & de materia, quæ est sub grano milij posset (eam multiplicando) facere quoddamque corpus.

EX QVO patet solutio ad argumentum objectum.

QVÆSTIO II. QVODLIBETI XII.

Vtrum in materia sit potentia activa?

Hanc materiam tractat Ægidius in 2. d. 12. p. 2. princip. per totum. Et locis hanc quæstione à se citat. item Greg. Arim. ibidem quæst. 1. princ. Aureol. ibidem p. 4. & passim sententiarum inter recent. Vasquez tom. 2. 1. p. d. 196. Suarez met. d. 13 sect. 4. Hurtado disp. 2. phys. sect. 10. Arriaga d. 2. phys. sect. 9. & alij passim Philosophi lib. 1. phys. aut ubi agunt de materia 1. Videantur ibidem.

Ægidius verò hic, controversâ quæstione, allegat quinque rationes, ob quas aliqui moti sunt ad astruendam partem affirmativam: quas tamen omnes ostendit esse inefficaces, & ex ijs non rectè concludi intentionem eorum. Inde allegat duas extremè oppositas antiquorum Philosophorum sententias circa potentiam materiæ activam, & tertiam Aristotelis mediam, quam amplectitur. Et respondet argumentis.



VNC AVTEM quæritur secundò, Vtrum in materia sit potentia activa? Et arguitur, quòd sic: quia forma vel fit de aliquo, vel fit de nihilo. Non de nihilo: quòd equidem aliquid de nihilo fieret ita est incòceptibile, ut terruerit omnes philosophantes, ut dicitur *primo de generatione*: ergo fit de aliquo. Sed illud, de quo fit forma, est pars formæ; sicut illud, de quo fit compositum, est pars compositi. Sed ponere quandam formam incompletam, & quoddam inchoativum formæ est ponere potentiam activam in materia: ergo, cùm necesse sit ponere tale inchoativum, necesse est etiam ponere in materia potentiam activam.

IN CONTRARIUM est: quòd huiusmodi inchoativum vel esset tota forma, vel pars formæ: non tota forma; quia tunc tota forma esset, antequam per generationem educeretur, & sic esset, antequam esset. Nec pars formæ, quia forma non habet partem & partem; est enim simplici essentiâ consistens.

RES O-

Ex grano milij Deus posset facere totum mundum.



R E S O L V T I O.

Cum nulla rationes efficaciter suadeant, in materia prima, secundum se, dari potentiam activam: quâ seipsam moveat: simpliciter talis ei est deneganda; quamvis, interim, admittendum sit: si per materiam res materiales intelligantur, eam esse præditam potentijs activis.

Motiva s.
ponendi
in mat. po-
tentiam
activam:

RESPONDEO, Dicendum, quòd ad ponendum potentiam activam in materia, videantur aliqui esse moti quinque de causis: vel quinque modis.

I. Primò quidem posuerunt aliqui potentiam activam in materia, ut effugerent inconveniens, quod alioquin putabant necessariò admittendum: scilicet, secundum naturam posse aliquid fieri de nihilo. Nam si modo est forma in materia, & prius non erat, facta est de aliquo: de essentia materiæ non; quia essentia materiæ non fit essentia formæ: ergo aliquod inchoativum formæ fuit in materia, de quo facta est forma. Huiusmodi autem inchoativum vocant potentiam activam in materia.

II. Secundò moti sunt aliqui ad hoc ponendum, ut darent differentiam inter formam naturalem & artificialem. Nam (ut aiunt) forma videtur esse naturalis ex hoc, quòd materia naturaliter ad ipsam moveatur: nihil autem naturaliter movetur ad aliquid, nisi habeat aliquid de eo, ad quod movetur. Habet igitur materia aliquid de forma, ex quo naturaliter movetur ad formam: illud autem aliquid, quod habet de forma, est inchoativum formæ, hoc verò vocarunt activam potentiam: unde concluderunt, formas naturales habere aliquid inchoativum & habere potentiam activam in materia, ante sui educationem. Formæ autem artificiales (inquirebant) non habent huiusmodi inchoativum, nec activam potentiam in materia, ante sui productionem. Cujus diversitatis rationem assignabant quòd formæ naturales sint ab intra; & ideò in ipsa materia habeant aliquid, unde fiant: formæ verò artificiales sint quasi ab extra; &

ideò non oporteat, quòd aliquid habeant in materia, unde fiant.

III. Tertiò moti sunt aliqui ad hoc ponendum ex verbis Sanctorum. Dicit enim *Augustinus 3. de Trinitate cap. 8.* quòd, *Sicut matres gravida sunt plena fœtibus, sic iste mundus plenus sit causis nascentium.* Has autem causas nascentium, & has rationes feminales vocant ipsi, potentias activas in materia.

IV. Quartò moti sunt aliqui ad hoc ponendum ex verbis *Philosophi* qui ait *secundo Physicorum*, *Quòd si esset in ligno navifactiva; simile quid, utique, natura fecisset.* Navis est ergo quid artificiale; quia fit à principio separato: sed si navifactiva esset in ligno, tunc navis fieret naturaliter; quia fieret à principio intrinseco. Ergo hoc est fieri naturaliter (*secundum Philosophum*) fieri à principio intrinseco: sed illud principium intrinsecum est potentia quædam activa; ergò in ipsa materia est potentia activa unde fluit forma.

V. Quintò moventur aliqui ad hoc ponendum ex his quæ videmus per sensus. Videmus equidem arbores pullulare: videmus frumentum germinare: hoc autem non esset, nisi in talibus esset potentia activa, per quam talia fierent.

SCIENDVM tamen est, quòd ijs omnibus non obstantibus equidem non oporteat ponere potentiam activam in materia. Sed non urgent.

Quod autem, ob vitandum inconveniens primum, non oporteat potentiam activam ponere, patet; quia etiam ponendo huiusmodi potentiam per hoc non fugimus hoc inconveniens; nam quantumcumque ponamus potentiam activam in materia, de qua fiat forma; per hoc non effugimus, quin fiat aliquid ex nihilo. Quæram enim, Vtrum post introductionem formæ sit aliquid in materia, quod prius non erat? si nihil sit in materia, quod prius non fuerit: inferri potest; ergo non fuit prius in materia aliquid inchoativum formæ, sed tota forma: & tunc consequenter; ergo res essent antequam generarètur. Et hoc non est minùs stultum, quàm impossibilia admittere. Si ergo ignis nunc generatus est, qui prius non erat; oportet, quòd in materia ignis sit aliquid, quòd prius non erat: & tunc de illo quæram, Vtrum

Vtrum sit factum de aliquo, vel de nihilo? live ergo ponamus inchoativum formæ, live non ponamus, æquè concludetur contra nos, quod fiat aliquid de nihilo.

Vno solo modo possemus per hanc viam hoc inconueniens effugere: ponendo, scilicet, latitationem formarum, prout posuit *Anaxagoras*; non autem ponendo inchoationem, ut ponunt isti. Si enim poneremus formarum latitationem, ut posuit *Anaxagoras*, nihil de novo fieret in materia: sed si poneremus inchoationem, oporteret, quod aliquid de nouo fieret in materiâ. Non ergo efficaciter arguunt isti, quod sit potentia actiua in materiâ; ut tibi hanc difficultatem soluant, Quomodo inducatur forma in materiam, absque eo, quod fiat aliquid ex nihilo?

Non secundum.

Tripliciter enim differunt tales formæ:

Primo.

Quia omnes artifices sunt accidentia.

Secundò.

Quia artifices tantum sunt in extremitatibus subiecti.

Quod etiam non oporteat propter secundum; scilicet, differentiam formarum naturalium & artificialium, ponere potentiam actiuam in materiâ, pater: quia præter hoc, quod ponamus in materiâ inchoativum formarum, possumus dare differentiam inter formas artificiales & naturales. Et quidem

Vna differentia esse potest, quam tangit *Commentator in primo Physicorum*, dicens, *Omnes formas artificiales esse accidentia*. Erit igitur differentia hæc, inter artem & naturam; quod ars non inducat, nisi formas accidentales: natura verò inducat substantiales, & accidentales: consequenter, erit ista differentia inter formas naturales & artificiales; quod naturales sint substantiales, & accidentales: artificiales verò sint tantum accidentales.

Altera differentia inter artem, & naturam est, quam dat *Themistius*, ut recitat *Commentator 12. Metaphysica*, dicens, *Quod natura agit in corpore toto: ars verò in extremitatibus eius*. Erit ergo hæc differentia inter formas naturales & artificiales; quod, formæ naturales sint illæ, quæ sunt inductæ ex actione in corpore toto, vel in toto simpliciter, vel in toto, quantum ad illam partem, in quam est inducta forma: formæ verò artificiales sint illæ, quæ sunt inductæ, non ex actione in corpore toto, sed in extremitatibus eius

Tertiam differentiam possumus nos Tertiò, dare inter naturam, & artem, Dicendo, quod ars non transmutet per se, nisi ad situm: natura autem transmutet etiam per se ad formam. Nihil enim facit aliud ars, nisi quod coniungat hoc cum hoc, vel separet hoc ab hoc. Coniungit enim corpus cum corpore; ut arenam cum calce, & facit cementum; & cementum cum lapidibus, & facit parietem; & parietem cum tecto, & facit domum. Sic etiam remouet hoc ab hoc; ut remouet partem ligni à ligno, & facit in ligno figuram idoli. Per se ergo ars coniungit & separet, & ideò per se mouet ad situm: si autem ex conjunctione, & separatione sequatur forma: hoc modo illam inducit. Modus ergo agendi naturæ est in alterando materiam, ut calefaciendo, vel infrigendo: modus autem agendi artis est solum coniungendo, & separando. Ideòque dictum est quod natura agat in corpore toto; quia alteratio respicit totum, ars autem agit in extremitatibus: quia, scilicet, coniungere & separare in re respicit per se ipsas extremitates. Possumus ergo distinguere, & assignare differentiam inter formas naturales, & artificiales, absque eo, quod ponamus potentiam actiuam in materiâ.

Ad dictum autem *Diui Augustini*, quod *mundus iste est plenus causis nascentium*.

Et dictum *Philosophi*, *Quod si navis actiua esset in ligno, quod navis fieret naturaliter*. Et id, quod videmus ad sensum.

cum videmus arbores pullulare, & semina germinare: Dicendum est, omnia ista saluari posse absque eo, quod ponamus potentiam actiuam in materia. Non enim negamus, in rebus materialibus esse virtutes actiua: nec negamus, in feminibus esse aliquid actiuum, unde fiat germinatio: quia tunc negaremus sensum; oportet enim huiusmodi germinationes, & pullulationes, quas videmus, ex aliquo actiuo principio provenire; ut verbi gratiâ, quod hæc arbor hoc modo dilatetur in ramis, & quod frondes huius arboris habeant hanc formam, & hanc figuram; & quod alterius arboris habeant aliam formam & figuram, oportet ex alio & alio principio provenire. Et secundum hoc loquitur *Philosophus*, *Quod si navis actiua*

Ars non transmutat nisi ad situm per se:

Pater exemplis

Non alia 3.

Quod in rebus materialibus sunt virtutes actiue.

etiva esset in ligno, quod navis fieret naturaliter. Si enim esset in ligno virtus formativa ad faciendam formam navis, sicut est in ligno virtus formativa ad faciendam formam folij, vel formam rami: tunc, sicut folium & ramus fiunt naturaliter secundum exigentiam arboris, sic & navis naturaliter fieret. Virtutes igitur activas à rebus naturalibus, & virtutes hujusmodi informativas in seminibus & arboribus non negamus: sed dicimus quod in materiâ non sit potentia activa, quâ seipsam moveat ad formam, vel quâ cooperetur agenti ad hoc, ut in eam inducatur forma.

Hoc ergo modo semina germinant, & hoc modo arbores pullulant: quia est in eis distinctum activum & passivum: & distinctus humor attractus ex terrâ in pullulatione arboris se habet, tamquam passivum: virtus verò existens in arbo- re se habet, tamquam activum, & tamquam convertens hujusmodi humorem in ramos, & folia, secundum quod exigit natura arboris. Imò fortè in eodem grano est distinctum activum & passivum; ut in grano frumenti virtus activa fortè magis reservatur in cuspidē, vel in summitatibus grani: virtus autem passiva magis in medio: unde & formicæ, postquam reposuerunt grana frumenti subter terram, quâdam naturali industriâ corrodunt illa grana frumenti in summitatibus ne germinant: ergo granum frumenti in summitatibus habet magis virtutem activam. Ex hoc autem, quod ponamus activum distinctum à passivo, non ponimus virtutem activam in materiâ, sed in agente.

REMOTIS Igitur modis sine motivis, quibus aliqui movebantur ad ponendam virtutem activam in materiâ: determinandum nobis est, quid sit de quæsito sentiendum? circa quod,

Tres sententia Philo-
sopho-
rum.

Sciendum est: quod *primi Philosophantes* & *Plato* tenuerint duo extrema de productione rerum: *Aristoteles* autem mediâ viâ inceserit; ut patet ex *fine secundi de generatione*. Nam *primi Philosophantes* totam productionem rerum attribuerunt necessitati materiæ: ac si materia seipsam moveret ad formam: ideoque hi tenuerunt

hoc extremum, quò nimis attribue-
runt materiæ. *Plato* autem tenuit aliud
extremum ponens Ideas separatas, &
proinde non credens, per ea, quæ
erant in materiâ, posse fieri generatio-
nem rerum: iste ergo tenuit aliud ex-
tremum, quo nimis parum dedit re-
bus materialibus. *Aristoteles* autem te-
nuit viam mediam negans, quod ma-
teria seipsam moveret ad formam: sed
astruxit, quod moveretur ab agente:
& detestatus agentia separata dicebat,
quod moveretur materia ab agente
materiali.

Ergo *primi Philosophantes* tenuerunt
unum extremum; quia non distinxe-
runt activum à passivo. *Plato* autem te-
nuit aliud extremum; quia nimis di-
stinxit activum à passivo, ponens acti-
vum separatum, & immateriale. *Philo-
sophus* autem tenuit modum medium.
Ponere ergo potentiam activam in ma-
teriâ, quâ materia seipsam moveat
ad formam, est incidere in erro-
rem *primorum Philosophantium*, qui to-
tum attribuebant necessitati materiæ,
negantes causam finalem: qui & per
consequens, cogebantur negare cau-
sam agentem. Dicebat enim *Empedocles*:
non ideò dentes maxillares esse latos,
quod ad conterendum cibos, anterio-
res acutos quod ad incidendum sic or-
dinati sint à causâ agente: sed casu sic
accidisse ratione materiæ: totum enim
hoc, quod fit, attribuebat mate-
riæ.

In hunc ergo errorem iucidunt po-
nentes potentiam activam in materiâ,
quâ materia seipsam moveat ad for-
mam, vel cooperetur agenti ad hoc,
ut in materiam inducat formam. Tan-
tum autem abest quod materia coope-
retur agenti; ut potius ei resistat, &
contra agat. Cujus signum est, quod
agens & patiens in principio sint con-
traria: in fine autem sint similia: & quan-
do jam sunt similia, & passim plenè
conversum est ad naturam agentis,
tunc cesset actio & passio: & cessat mo-
tus, ut innuit *Philosophus in primo de
generatione*.

Nos ergo ponere non possumus hoc
modo potentiam activam in materia,
non tantum, ne incidamus in errorem
primo-

II.

III.

In primū
incidunt
ponentes
pot. acti-
vam in ma-
teriâ.

Vel saltem
valdè incli-
nant.

primorum Philosophantium; sed etiam, ne aliquo modo ad illum errorem declinemus. Qui autem loquuntur nunc de potentia activa in materia, tametsi non omnino incidant in errorem *primorum Philosophantium*; ut totum attribuant materiæ: multum tamen ad illum errorem appropinquant.

In 2. verò
qui rebus
materiali-
bus omni-
nò negant.

Rursus non debemus remove-
re potentiam activam omnino à materia, sic
ut incidamus in errorem Platonis di-
centis, quod unum materiale non trans-
mutet aliud ad generationem: sed ad
hoc sint agentia immaterialia; scilicet
Ideæ separatae; ex quibus solum fiat
generatio rerum.

Tria am-
plectenda,

SED TENEBIMVS viam mediam,
distinguentes activum à passivo. Hoc
autem faciendo, fugiemus errorem pri-
morum Philosophantium. Concedemus
etiam, quod unum materiale transmu-
tet alterum: & sic vitabimus errorem
Platonis. Vnde cum quæritur, Vtrum
potentia activa sit in materiâ? sub di-
stinctione respondendum est. Si enim
intendat per hoc aliquis quærere, Vtrum
res materiales agant? concedenda est
propositio. Sed si intendat quærere,
Vtrum talis potentia sit in materia, quâ
materia seipsam moveat, vel quâ coope-
retur agenti? est omnino neganda. Vn-
de quia propositio dicens, quod poten-
tia activa sit in materiâ, magis importat
hunc sensum posteriorem, quàm prio-
rem; ideo simpliciter neganda est.

Quâ rebus
materiali-
bus quidem
non mate-
riæ se-
cundum se,
dicatur in-
esse pot.
act.

AD ARGVMENTVM autem in
contrarium, quò dicebatur, quod tunc
forma fieret ex nihilo, Dici potest,
quod (ut diximus supra) hæc ratio non
probet, potentiam activam esse in mate-
riâ: quia concessâ tali potentiâ, adhuc
restat talis dubitatio, Vtrum in omni
generatioe fiat aliquid ex nihilo? unde,
querit quidem hæc ratio, hanc difficul-
tatem solvi: sed non concludit inten-
tum. Propter quod,

Quare
agens se-
cundum
non possit
facere ali-
quid ex
nihilo?

SCIENDVM, quod nullum agens
secundum possit facere aliquid ex nihi-
lo. Nam oportet, quod sicut unum
agens præsupponit aliud, ita unius agen-
tis effectus præsupponat effectum alte-
rius. Propter quod, sicut quodlibet agens
secundum præsupponit agens primum;
ita effectus cujuslibet agentis secundi
præsupponit effectum agentis primi: si

ergo generatio terminaretur ad ipsam
formam per se existentem, tunc gene-
rans produceret aliquem effectum non
receptum in alio effectum: & ita illud ge-
nerans produceret formam de nihilo:
& illud generans esset agens primam.
Quia sicut effectus non præsupponeret
aliud effectum; ita illud agens non præ-
supponeret aliud agens.

Facere ergo aliquid ex nihilo est fa-
cere effectum non præsupponentem
aliud effectum. Et hoc est, super quo
fundatus tenuit est *Philosophus*; volens
enim solvere 8. *Metaphysicorum*, quod
forma non fiat ex nihilo, ait, *quod forma
non fiat sed compositum*. Si ergo forma fie-
ret secundum se; tunc fieret aliquid ex
nihilo: quia fieret aliquid nullo præsup-
posito: vel fieret aliquis effectus non
præsupponens aliquem effectum in
quo reciperetur. Sed quia non fit for-
ma secundum se: sed fit compositum,
id est, fit forma in composito; ideo non
fit aliquid ex nihilo; quia non fit ali-
quid, nullo præsupposito: nec fit ali-
quis effectus non præsupponens aliud
effectum.

Et quid
hoc sit?

Fit strictè
composi-
tum, non
forma com-
positi.

Accipiendo ergo largè, fieri, ut signifi-
cet sive fieri per se, ut fit compositum: sive
fieri per accidens, ut forma: Dicendum
est, quod quidquid fit per secunda agē-
tia, & quidquid incipit esse per talia agē-
tia, cum prius non esset habeat mate-
riam: non tamen eodem modo; compo-
situm enim habet materiam ex qua fit:
forma verò habet materiam in qua fit.
Vnde concluditur nullum talem fieri
ex nihilo: sed quodlibet tale præsup-
ponere, vel materiam, ex qua fiat, vel
materiam in qua fiat.

Quamvis
largè.

Sed de hoc in quætionibus nostris,
de primo principio, & *de esse*, & *essen-
tiâ* diffusius diximus.

QVÆSTIO III.

QVODLIBETI XIII.

*Vtrum materia possit à nobis
intelligi sine formâ?*

Examinat hoc Ægidius lib. 1. Hexameron ex D. Au-
gustino l. 12. confess. c. 5. Tractat etiam D. Thom. 1. p.
q. 87. 2. 1. Scot. in 1. d. 12. q. 2. Col. Conimb. 1. 1. Phys.
c. 9. q. 2. 2. 2. & quia hoc venit decidendum ex ijs quæ di-
cuntur de essentia materiæ, de ea videri possunt Aucto-
res ad quæst. præced. citati.

Ægidius verò hic motâ questione, dicit in partem negativam iri posse: idque ex triplici fundamento, quod allegat *Augustinus* lib. 12. confess. ex quibus conficit, deditque tres rationes: ex quibus determinat, quomodo materia sine forma non possit intelligi? & argumento pro contraria parte satisfacit.



TERTIO quæritur de materiâ per comparisonem ad intellectum nostrum, Vtrum possit intelligi sine formâ?

ET VIDETVR, quod sic: quia quidquid potest per se significari potest per se intelligi: materia potest per se significari, cum habeat per se nomen distinctum à formâ; ergo potest intelligi sine formâ.

IN CONTRARIVM est: quia si cut res se habet ad esse, ita ad cognoscere: sed quod non potest esse sine alio, non potest intelligi sine alio; materia autem non potest esse sine forma: ergo nec intelligi.

RESOLVTIO.

Cum materia secundum se nullum actum dicat, & sit quid omnino indistinctum, & sine ordine: non potest à nobis secundum se intelligi; quamvis possit per analogiam ad formam.

Tria prædicata materiæ ex D. Augustino.

1. Esse quid informe.

2. Esse quid indistinctum.

RESPONDEO: Dicendum, quod *Augustinus* lib. 12. cap. 6. Confessionum videatur tangere tria de materiâ, per quæ possimus arguere, quod materia non possit à nobis intelligi per se. Innuit enim *Augustinus* primò, quod materia de se sit quid informe, & quid privatum actu: unde ait 12. Confessionum; suadebat vera ratio, ut omnis formæ qualescumque reliquias omnino detraherem, si vellem prorsus informe cogitare.

Secundò dicit *Augustinus*, materiam esse quid indistinctum: unde ait in eodem 12. cap. 9. Vbi nulla species, nec venit quicquam, nec præterit. Quasi dicat; ubi non est species nec forma, ibi non est

distinctio. Similia habet cap. 17. & 21. aliisque. Et hoc etiam dicit *Philosophus* in *Metaphysicâ* suâ; quod in fundamento naturæ nihil est distinctum.

Tertio dicit *Augustinus* de se, materiam esse sine ordine, unde ait eodem l. cap. 9. Vbi nulla species, nullus ordo.

EX HIS AVTEM TRIBVS possumus tres rationes colligere, & formare, ex quibus colligamus, quod materia non intelligatur, nisi per analogiam ad formam. Prima est, quod oporteat illud, quod per se intelligitur, esse quid in actu; quod enim subterfugit actum non potest per se intelligi. Ideò ostendit *Philos.* in 9. *Metaph.* quod *quandiu est quid in potentiâ est latens: quando autem fit in actu tunc apparet, & tunc scitur; ut, quod quadratum sint duo trianguli, latet nos; quia sunt duo trianguli in potentiâ: sed quando ducitur linea de angulo ad angulum, & actu secatur quadratum in duos angulos, statim apparet, quod quadratum sint duo trianguli.*

Numquam ergo aliquid est objectum intellectus, nisi secundum quod est quid in actu, vel secundum quod coöperatur ad actum: & quia materia de se non dicit aliquem actum, ideò secundum se non est apta, vel nata à nobis intelligi: sed si intelligatur, hoc erit per analogiam ad actum.

Ista ergo est sententia *Philosophi* lib. 1. *Phys.* Vbi dicit materiam non esse intelligibilem, nisi per analogiam ad formam: ista est etiam sententia D. *August.* 12. Confess. ubi vult materiam de se neque esse intelligibilem, neque sensibilem. Non intelligibilem quidem; quia non est forma, id est, quia non est actus. Non sensibilem autem; quia non est composita.

SECVMDA VIA ad hoc idem sumitur ex eo, quod materia de se dicat quid non distinctum. Oportet enim id, quod per se intelligitur esse quid distinctum: quamdiu enim aliquid intelligitur indistinctum, non intelligitur secundum se. Ideò scire in universali, & non scire in propriâ formâ, non est scire secundum se. Est enim hoc generaliter verum (sive hoc contingat ex modo sciendi nostro, sive ex ipsâ re scita) quod, quamdiu aliquid non intelligitur ut distinctum, non intelligatur secundum se. Quia ergo materia de se dicit quid indistinctum, ideò secundum se non

3. Esse sine ordine.

Ex quibus desumuntur tres rationes pro concl.

I. Quod per se intelligitur est quid in actu.

II. Ex quid distinctum.

non est quid intelligibile.

Hinc oritur duplex modus intelligendi materiam. Duplex ergo erit modus ad intelligendam materiam; quorum primus est, ut intelligatur aliquid, quod de se non habet actum, sed quod est in potentia ad actum. Ex quo fit quod totus modus ad eam intelligendum fit per comparisonem ad actum. Secundus modus ad intelligendum materiam est, ut intelligatur aliquid, quod de se non dicit quid distinctum, sed aptum, sive natum distingui per formam. Ex quo etiam fit, quod modus eam intelligendi fit per comparisonem ad formam.

Per conceptum privativum. Sed si velis eam intelligere secundum se, non habebit conceptum positivum, sed privativum; conceptum enim, sive intellectum positivum habet solus ipse actus: ergo conceptum sive intellectum privativum habet, quod de se caret actu. Et propter hoc D. Augustinus 12. Confessionum, signanter loquitur de cognitione materiæ, ubi dicit, *Quod humana cognitio conetur eam, id est, materiam, vel noscere ignorando, vel ignorare noscendo.* Ignorata quippe cognitio, vel cognita ignoratio non dicit intellectum, sive conceptum positivum, sed privativum.

III. Et aliquid habens ordinem in prædicamento.

TERTIA VIA ad hoc idem sumitur ex eo, quod materia dicat quid sine ordine. Dicimus enim & imaginamur, quod nihil per se intelligatur, nisi quod per se habet ordinem in prædicamento. Nam si *quidquid est sit objectum intellectus*; ut dicitur 3. de anima, *Et res per suam quidditatem sint in genere*: oportet quod habeat per se quidditatem, & per se ordinem in prædicamento quod dicitur per se esse objectum intellectus. Et quia materia caret de se huiusmodi ordine: imò quia de se caret omni ordine, ut verba Augustini sonant, non poterit materia per se esse objectum intellectus nostri. Si ergo quis velit hoc modo materiam intelligere, concipiat aliquid, quod de se non dicit ordinem; sed est aptum, sive natum habere ordinem per formam.

Hinc oritur 3. conceptus privativus materiæ.

Hinc etiam est meritò prope nihil

Et quia materia nec distinctionem, nec actum, nec ordinem de se dicit: ideo est valde prope nihil. Ideoque dicit Commentator de ipsa materia in 1. Physicorum, quod sit *medium inter ens, & nihil*. Hoc etiam modo loquitur idem

Augustinus in 12. Confessionum cap. 7. dicens; *Duo quedam fecisti Domine: unum prope te, alterum prope nihil: unum, quod superior tu esses, alterum, quod inferius nihil esset; videlicet Angelicam naturam, & informem materiam. Et eodem libro appellat materiam penè nullam rem, dum ait cap. 8. Tu enim Domine fecisti mundum de materia informi, quam fecisti de nulla re penè nullam rem, unde faceres magna, quæ mirarentur filii hominum.*

Advertendum tamen, quod, quamvis materia de se non dicat ordinem in prædicamento, & non sit ens in actu; non tamen sit omninò nihil: juxta eundem Augustinum dicto lib. 12. ubi ait; *Licet materia sit prope nihil, non tamen est omninò nihil.* Cum ergo neque sit ens actu, neque sit omninò nihil; fatendum est, quod sit aliquid medium inter ens, & nihil. Et tunc

Non tamen omninò nihil.

Vel intelligitur per hoc, quod habeat propinquitatem ad nihil; vel ex hoc quod habeat ordinem ad ens. Non ex eo, quod sit prope nihil: quia tunc ipsum nihil esset per se intelligibile: ergo ex eo, quod habeat ordinem ad ens: sed materia ex suâ informitate est prope nihil, ut loquitur August. cit. loc. ubi loquens de materiâ informi ait, *Quod erat prope nihil, quia informis erat*: ergo per se, & secundum suam informitatem (quia ex hoc est prope nihil) materia non est à nobis intelligibilis. At verò secundum quod habet ordinem ad ens, intelligitur à nobis: & quia hoc habet per analogiam ad formam, etiam non intelligitur à nobis, nisi per analogiam ad formam.

Vera ratio conclusio.

AD ARGVMENTVM autem in contrarium Dicendum; quod dupliciter contingat, aliquid per se intelligi: scilicet vel quia intelligitur distinctum ab alio: vel quia intelligitur non intellecto alio. Materia autem intelligitur per se, per comparisonem ad formam, quia intelligitur esse quid divisum & quid distinctum à forma. Sic & propria passio intelligitur per se per comparisonem ad subjectum, quia intelligitur per se ut quid distinctum à subjecto. Enimverò materia non intelligitur per se, per comparisonem ad formam, quasi posset intelligi, non intellectâ formâ: nec propria passio intelligitur per se,

Dupliciter aliquid per se dicitur intelligi.

se, per comparisonem ad subiectum, quasi posset intelligi, non intellecto subiecto.

Et quomodo
marc.
gia?

Cùm ergo dicitur, quòd quidquid per se potest significari, possit per se intelligi: distinguendum est; verum enim est, quòd possit per se intelligi esse distinctum ab alio: & idèd per se possit habere nomen proprium. Non tamen verum est, quòd quidquid potest per se significari, & quidquid habet per se nomen proprium, & nomen aliud, possit intelligi non intellecto aliò. Nam accidens habet per se nomen proprium, & nomen aliud à substantiâ: non tamen potest per se intelligi, non intellectâ substantiâ.

QVÆSTIO IV.

QVODLIBETI XIV.

Vtrum, & quomodo aliqua forma accidentalis intendatur, vel remittatur?

Traçat Ægidius hæc quæstionem longè latèque lib. de gradibus formarum accidentalium. Et in 1. d. 17. p. 4. & 5. cum Greg. Arim. & plurimis aliorum ad quæstionem 18. quodlib. 1. citat. circa loca ibidem allegata.

Ægidius verò hic propter argumenta hinc inde posita tres species totalitatis assignat: quarum una est secundum quantitatem, siue quantitativa, secunda secundum gradus in esse, tertia secundum gradus in essentia. Et inde declarat secundum quam totalitatem formæ possint intendi, vel remitti. Tandem, quia ex eius hac resolutione emergebat difficultas, quâ videbatur inde oriri processus in infinitum, eam solvit duobus modis: & argumentorum factorum solutionem insinuat.



IRCA hæc corporalia quærebatur quartò de formâ; non quidem de formâ substantiali, sed de formâ accidentali. Erat autem quæstio; Vtrum calor, vel aliqua alia forma accidentalis intendatur vel remittatur secundum gradus in

essentia, & secundum se? vel, an secundum gradus in esse, & secundum dispositionem subiecti?

ET VIDETVR, quòd secundum gradus in essentiâ, & secundum se: quia si solum intenderetur secundum gradus in esse; tunc (cùm ipsum esse, & ipsa dispositio subiecti non sit ipsa forma, sed sit aliud præter formam) non diceretur esse augmentata, vel intensa forma: sicut non diceretur augmentatum frumentum ex additione hordei: ergo calor verbi gratiâ corporalis, vel spiritualis, quæ est charitas (propter quam quæstio fortè mota est) non augmentabitur, nisi ex additione charitatis. Sicut enim quod non est frumentum non potest augmentare frumentum, sic illud, quod non est charitas, non potest augmentare charitatem.

Præterea, si calor augmentetur ex dispositione subiecti; ergo ipsa dispositio subiecti poterit esse major vel minor, intenditur etiam & remittitur. Vel ergo hoc erit secundum se, vel secundum aliam dispositionem subiecti: si secundum se; cùm huiusmodi dispositio sit quædam forma, ipsa forma secundum se intendetur, & remittetur: si autem ipsa dispositio intendatur & remittatur per aliam dispositionem, erit abire in infinitum: quod est inconveniens.

IN CONTRARIVM EST; quia formæ, secundum gradus in essentia, sunt sicut numeri; sicut enim in numeris, quâlibet unitate additâ, vel remotâ, variatur species; ita in formis secundum gradus essentielles, quolibet tali gradu addito vel remoto, variatur species. Magis ergo & minùs diversificant speciem, quod est contra Philosophum; calor enim intensus & remissus non sunt diversæ speciei.

RESOLVTIO.

Quamvis triplex sit perfectio formæ accidentalis, in quantitate, in esse, in essentia: perfici tamen, intendi, aut remitti, augmentari, aut remitti non potest secundum essentiam: quamvis rectè secundum esse & quantitatem.

RESPON-

Triplex
formarum
perfectio
salvâ spe-
cie.

RESPONDEO, Dicendum, quod in formis istis corporalibus, & maximè in formis accidentalibus, de quibus est quæstio, possumus assignare triplicem totalitatem. Vnam quantitativam, aliam secundum gradus in esse, tertiam secundum gradus in essentiâ.

1. Secun-
dum quan-
titatem,

Secundum autem totalitatem quantitativam intelligere possumus augmentari formam, non variatâ ipsa specie, si, verbi gratiâ, dum corpus aliquod calefit, prius calefiat una pars, postea alia: quia ista accidentia corporalia extenduntur extensione subjecti: unde calor sic inductus in corpore crescit secundum totalitatem quantitativam; nam sicuti dicimus, quod illa albedo sit magna, quia superficies, cui inhæret, est magna, sic dicere possumus, quod calor sit magnus, quia corpus, cui inhæret est magnum.

2. Secun-
dum esse,

Rursus, possumus intelligere, intendi & remitti, augmentari & diminui calorem, vel aliam formam accidentalem non mutatâ specie, secundum gradus in esse: imò non solum idem calor specie, sed etiam numero potest intendi & remitti secundum gradus in esse. Sciendum enim est, quod, sicut virtus se habet ad agere, ita forma se habeat ad esse: sicut ergo eadem numero virtus potest magis & minus agere, secundum quod invenit passum magis & minus dispositum; sic eadem numero forma, ut calor, potest dare perfectius, & imperfectius esse, & facere corpus magis & minus calidum, secundum quod invenit corpus magis & minus dispositum.

3. Secun-
dum essentiam,
non datur.

Sed secundum gradus in essentiâ impossibile est, quod forma eadem specie suscipiat magis & minus. Nam secundum essentiam certificatur quælibet forma, ut sit illud, quod est. Vnde *Avicenna primo Metaph.* dicit, quod *unaquæque res in suâ naturâ specificâ habeat certitudinem propriam, quæ sit ejus quidditas, quæ est illud, quod est, & non aliud. Sicut albedo in suâ naturâ habet certitudinem, quæ est albedo, & non est nigredo, nec aliquid aliud secundum quidditatem suam.* Ergo & secundum gradus essentielles certificatur res, ut sit illud, quod est. Certificatio autem semper consistit in minimo: un-

de & mensura, secundum quam certificamur de mensurato, debet semper consistere in minimo. Ideò dicitur 8. *Metaphysica*, *Quod omnia sui generis mensurantur in esse punctali.* In esse ergo punctali, sive in minimo consistit ratio essentialis rei. Vnde & res certificatur, ut sit id, quod est. Quocumque ergo gradu addito vel remoto secundum essentiam, non remanebit res illud, quod est. Ideò benè dicebatur in arguendo, quod secundum hujusmodi gradus formæ sint sicut numeri: nam, ut innuit *Philosophus 8. Metaphysica*, quolibet tali gradu addito, vel remoto, variatur species.

Forma igitur intenditur & remittitur secundum subjecti dispositionem, & secundum gradus in esse, non autem secundum gradus in essentiâ.

Sed si hoc dicamus (quod quidem credimus esse benè dictum) magna nobis difficultas occurrit; nimirum, quod hinc sequi videatur processus in infinitum. Nam, ut tangebatur in arguendo, si forma recipiat magis & minus propter dispositionem subjecti; oportet, quod illa dispositio subjecti suscipiat magis & minus: & sic consequenter, ergo erit processus in infinitum.

Movetur
difficultas

Propter
processum
in infinitum,

Possumus tamen hanc difficultatem dupliciter effugere. Primò, ostendendo, quod forma possit suscipere magis & minus, quia dispositio suscipit magis & minus: nec tamen inde cogamur procedere in infinitum. Secundò, ostendendo, quod forma possit suscipere magis & minus, dato etiam quod forma illa, secundum quam recipitur, & secundum quam disponitur subjectum, non suscipiat magis & minus.

Quæ solvi-
tur duplici
viâ, quarum

Primus modus effugiendi hanc difficultatem est: si dicamus, quod raritas verbi gratiâ, sit dispositio ad calorem: inde corpus aliquod esse magis & minus calidum secundum quod est magis & minus rarum: tandem majorem caliditatem esse in igne, quàm in aëre, ex eo, quod sit in eo major raritas: corpus autem illud esse magis vel minus rarum oriri ex qualitate materiæ sive subjecti: in quod totum resolvetur: unde sic non dabitur processus in infinitum.

1. est.

Per compa-
rationem
caloris ad
raritatem

Rarum enim & densum, ut recitat *Simpli-*

Quæ est
duplex:

Simplicius super predicamentis, qui & allegat auctoritatem *Iamblici*, uno modo dicunt positionem, alio modo dicunt qualitates. Nam rarum & densum existentia in rebus secundum substantiam dicunt qualitates: & secundum hoc ignis in sua substantia est rarus. Acquisita tamen intrinsecus secundum figuram corporis (secundum quod dicimus pomicem, vel spongiam raram, quia non habent partes ad invicem conjunctas) dicunt positionem.

Superven-
niens ma-
teriae quan-
tæ.

Et unde
colligatur?

Idem est
de denso,
quod defini-
tur

Generaliter equidem concipimus, quod materia verè extēdatur per quantitatem: & sicut extenditur materia, sic etiam extendatur forma substantialis educta de materia: & quod ista quantitas per quam extenditur materia & forma substantialis educta de materia sit apta & nata disponi per qualitates; ut verbi gratiā per rarum & densum.

Insuper concipimus per hoc in ipsa substantia rei esse raritatem, quod occupet magnum locum: densitatem verò ex hoc, quod occupet minorem locum.

Hinc illa definitio *Philosophi in predicamentis* de denso, quod densum sit cujus partes propinquè jacent, potest referri ad densum, quod dicit positionem, & ad densum, quod dicit qualitatem. Prius enim respicit partes exteriores, & oritur secundum rei figuram. Posterius verò respicit partes interiores, & oritur secundum rei substantiam. Et ita spongia non est densa, quia partes ejus exteriores non jacent propinquè: imò est distantia inter partes ejus, & recipitur corpus subtile inter partes sic distantes. Et tale rarum dicit positionem. Sed densitas, quæ reperitur in terra & in aqua, & raritas, quæ in aëre & igne, non dicunt positionem; sed qualitatem. Quamvis adhuc possit in eo salvari definitio densi, qua definitur densum, cujus partes propinquè jacent. Nam tanta quantitas materiae, quanta erat sub uno pugillo terræ mutatae in aquam, sit postea sub decem pugillis aquæ, & postea sub centum aëris, & postea sub mille pugillis ignis: constat autem partes materiae, vel quantitatis materiae magis propinquè jacere, id est, non occupare tantum spatium, quando sunt sub uno pugillo terræ, quam dum sunt sub

decem aquæ, vel centum aëris, vel mille ignis.

Quod non sic intelligendum est, quasi illic sint aliquæ vacuitates interceptæ: qualiter intelligebat *Democritus* ponens, corpora indivisibilia cum vacuitatibus componere omne corpus: sed quod de natura quantitatis extendentis materiam sit, quod possit disponi per qualitatem, ut occupet parvum locum: & tunc dicitur illud corpus densum: vel ut occupet magnum locum: & dicitur tunc rarum.

Quod si quæras, unde accidat rarum & densum? Dicemus, quod rarum & densum in elementis sequantur formas elementares: cujus signum est, quod elementa magis formalia sint magis rara; magis autem materialia sint magis densa.

Quæ oriun-
tur ex for-
mis ele-
mentorum

Hinc rectè exponi potest illud verbum *sive axioma*; generans quantum dat de forma, tantum dat de loco: ut sit idem, quod, elementum quantum habet plus de forma, sive, quantum est formalius, tantò plus habet de loco, sive, tantò est rarius, & tantò occupat majorem locum.

Quæ quan-
tò forma-
liora, tan-
tò rarior?

Secundum quæ concludendum est, posse intendi & remitti in materia raritatem & densitatem, absque eo, quod eat in infinitum; fiet enim hoc quod partes materiae aliter & aliter disponantur. Nam (ut dicebatur) est in natura materiae existentis sub quantitate potentia, quā possit magis & minus extendi: ex quo possit suscipere raritatem, & densitatem. Et tunc, quia in materia potest intendi & remitti raritas, & densitas; poterunt etiam in materia intendi aliæ & aliæ qualitates: prout etiam in materia rariori intenditur caliditas, & in densiori frigiditas. Sed

OBIICIENS, nos, hoc dicendo, videri cōtradicere sensui. Videmur enim dicere, quod ideo elementū, sit calidius, quia est rarius: unde videtur ex hoc materia suscipere caliditatem, quia recipit raritatem: totum autem videtur esse è contrario; calidum enim non calefacit, quia rarefacit, sed magis è contra, rarefacit, quia calefacit.

Propter hoc sciendum, quod materia simul tempore calefiat & rarefiat: at tamen, quia raritas & densitas sunt differe-
feren-
fiat;

Quamvis
materia
simul rem-
pore rare-
fiat & cale-
fiat;

ferentiæ materiales; caliditas verò & frigiditas sunt differentiæ formales; idè licet dicamus in materiam simul tempore induci caliditatem & raritatem; attamen de ordine introductionis istarum qualitarum est aliter loquendum, ut comparantur ad materiam, & aliter,

Non tamen ut comparantur ad agens: nam, ut simul naturæ comparantur ad materiam (quia raritas est magis forma materialis) Dicendum est, quod materia prius rarefiat, quàm calefiat. Sed, ut comparantur ad agens (quia agens magis agit per differentiam formalem) dicendum, quod agens inducat in materiam, prius caliditatem, quàm raritatem. Sed adhuc

Dicet quis, quod licet verum sit de raro & calido, quod rarius sit calidius; hoc tamen verum non sit de denso & frigido: quia terra est densior aquâ; frigiditas tamen est essentialior qualitas aquæ, quàm terræ.

Ad hoc autem dicere possumus, quod cæteris paribus, densius sit frigidius: aqua enim calefacta rarior est, & infrigidata densior. In diversis autem elementis secundum formas, eò quod, scilicet, qualitates tales sequantur formas elementorum, possit conjungere, quod densius non sit frigidius: cæteris autem paribus, ut apparet in eodem elemento aquæ, secundum formas densiora sunt frigidiora.

Modus ergò salvandi intentionem & remissionem, absque eo, quod eatur in infinitum, est iste: ut qualitates secundæ reducantur in qualitates primas: ut, scilicet, ex eo, quod aliter & aliter disponatur res secundum calidum & frigidum, intendatur, vel remittatur in colore, vel sapore, quæ sunt qualitates materiales secundæ. Rursus, ut qualitates primæ formales reducantur in materiales: ut, scilicet, ideo elementa quibus per se competunt qualitates primæ, intendantur & remittantur in caliditate & frigiditate, quæ sunt differentiæ magis formales, quia intenduntur & remittuntur in raritate & densitate, quæ sunt differentiæ magis materiales. Hujusmodi autem qualitates materiales, ut rarum & densum, non reducantur in alias qualitates: sed immediate reducantur in partes quantitativas ma-

teriæ, & tunc dicendum quod ex natura sua tales partes possint per ages cōstringi, & extendi: & secundum quod magis constringuntur, intendatur densitas: prout autem extenduntur, intendatur raritas.

He verò juxta partes quantitativas.

SECUNDA VIA ad ostendendum, quo modo possit intendi, & remitti aliqua forma absque eo, quod fiat processus in infinitum? facile patet: si dicamus, quod calidum possit suscipere magis & minus, etiam datò, quod nulla forma alia suscipiat magis & minus. Nam dici posset, quod calidum possit inhærere materiæ mediante duplici qualitate; siccio, nimirum, & humido: quarum tamen qualitarum una magis disponat materiã ad susceptionem calidi, quàm alia; siccitas enim magis disponit materiam ad susceptionem calidi, quàm humiditas: datò ergò quod nec siccitas nec humiditas susciperet magis & minus, posset caliditas suscipere magis & minus: quia in materia sicca esset calor intensior, in humida remissior.

2. calor potest dici intendi juxta dispositionem accidentis &c.

IMO POSSET inveniri tertius modus intensificationis & remissionis: eum tamen brevitatis causa omitemus, sufficienter enim patet, quod formæ accidentales possint suscipere magis & minus: & quod hoc non sit secundum essentialiam (secundum quam certificantur, ut sint id, quod sunt) sed secundum esse, quod habent in subiecto, ut differentiæ materiales, rarum & densum, intenduntur & remittuntur secundum esse, quod habent in partibus quantitatis materiæ. Intenso autem, vel remisso calido, vel frigido; quæ sunt qualitates primæ activæ, poterunt intendi, & remitti siccitas & humiditas, quæ sunt qualitates passivæ. Qualitates autem secundæ poterunt intendi & remitti secundum esse, quod habent in qualitatibus primis.

AD PRIMVM autem dicendum, quod formam aliquam, ut calorem, intendi, vel remitti, vel augmentari sit idem ac ipsam perfici, vel meliorari. dicitur autè & est aliquid melius, & perfectius ex eo, quod sit conjunctum alijs à se: V. G. substantia est melior & perfectior ex eo, quod sit conjuncta proprietatibus; licet proprietates sint aliæ & distinctæ à substantia: & sic etiam

Intendi &c. est idem ac perfici &c.

forma est perfectior & melior quæ est conjuncta perfectiori esse; licet ipsum esse non sit ipsa forma.

Ad secundum patet solutio per jam dicta.

QVÆSTIO V. QVODLIBETI XV.

Vtrum Ecclesia, in qua esset occisus martyr, sit propter talem sanguinis effusionem reconcilianda?

Questio hæc translata est hinc in Supplementum tertij sent. & eam tractat Vgo tract. de consecratione dist. 1: hic citatus. quomodo autem Ecclesia per effusionem sanguinis Humani polluitur, aut violetur? Videri possunt sententiarj in 4. d. 13. & speciarim soto & Pal. q. 2. D. Th. cum. summistis 3. p. q. 83. a. 3. Præp. dub. 2. Suar. tom. 3. d. 81. sect. 4. item Sylvest. V. consecratio. 2. Navarrus c. 25. cum casuistis, variis locis.

Ægidius autem hic relatis argumentis, discutit & oppugnat responsum Vgonis. Inde in effusione sanguinis distinguit inter actionem & passionem: & mentem suam aperit, juxta resolutionem infraponendam. Tandem insinuat argumenti solutionem.



VINTO circa hæc corporalia quærebatur de ipso composito: & erat questio de re sacra, videlicet, de Ecclesia, Vtrum Ecclesia, in qua est occisus martyr, sicut fuit occisus B. Thomas, propter talem sanguinis effusionem esset reconcilianda?

ET VIDETVR. quod non: quia ecclesia non est reconcilianda, nisi quia est polluta: sed sanguis sanctus, cujusmodi est sanguis martyr, Ecclesiam non polluit, sed ornat: ergo propter talis sanguinis effusionem non est reconcilianda.

IN CONTRARIVM est, quia in De consecratione dist. 1. dicitur, *propter sanguinem effusum esse reconciliandam Ecclesiam*: ibi autem non distinguitur inter sanguinem, & sanguinem: ergo qualicumque fuerit sanguis effusus, semper est reconcilianda Ecclesia.

Præterea sanguis martyr est sanguis innocens: Ergo magis delinquit effundens talem sanguinem, & per consequens talis Ecclesia est magis reconcilianda.

RESOLVTIO

Ecclesia polluta esset, non ratione ipsius martyris benè utentis malo: sed ratione actionis persequentis, formaliter male: & quia esset injuria illata Ecclesiæ: reconcilianda: locus autem, quem tetigit sanguinis, esset cooperiendus, & venerandus.

Respondeo Dicendum, quod hanc ^{Dicendum Hugo} quæstionem moveat ^{in gonis} *Hugo* tract. de Consecr. dist. 1. & specialiter movet eam de B. Thoma Cantuar. & adhæret huic parti, quod Ecclesia, ubi occisus est sanctus, sit reconcilianda: addit tamen, quod locus ille, ubi effusus est sanguis martyr, non sit reconciliandus; quin potius transeundus, & cooperiendus: sed reliqua Ecclesia tota sit reconcilianda.

Videtur autem hæc positio multum ^{Examina-} aliena: si enim propter effusionem ^{tur,} sanguinis ecclesia sit reconcilianda: ergo illa pars Ecclesiæ, ubi est sanguis effusus, est potius reconcilianda, quam aliæ partes.

Qua in re sciendum, quod in effusione ^{Et declar-} sanguinis duo sint consideranda; videtur: videlicet actio persequentis, & passio martyris, ut idem *Hugo* notat: ubi, licet passio martyris sit Deo grata & accepta; actio tamen persequentis est Deo displicens & odiosa. Imò magis videtur esse per se, ut actio persecutoris displiceat, quam ut passio martyris placeat: ^{Quia magis Deo displicet actio persequentis ex se,} nam actio persecutoris est displicens formaliter, quia est formaliter mala: passio martyris est placens materialiter & formaliter tantum per hoc, quod martyr benè utatur malo: quod autem ^{Quam passio martyris,} est formaliter tale, est magis tale, quam quod est tantum materialiter tale: etsi ergo polluta non sit Ecclesia, ratione passionis martyris, qui benè utitur malo; ratione tamen actionis persecutoris, qui agit actionem per se malam, est polluta.

Ponamus ergo quod aliquis occideretur in Ecclesia ita tamen ut totus sanguis ejus reciperetur in ejus vestimentis, nullâ gutta sanguinis cadente in Ecclesiam: vel quod occideretur aliquis in Ecclesia per suspendium, sine effusio-